

R M K III.


3507

7th
at

168

Bibliotheca Hungarica Janlovichiana.
C. Ord. 8^o

B. H. J. Hist. Püch.



N^o 1344.

RMK III. 3507.

1. péld.

Jelys.

STEPHANI
BRODERICI
NARRATIO

De
PROELIO

Quo
ad Mohatzium anno 1526.
LUDOVICUS Hungariæ Rex
periit.

Cum
COMMENTARIO
JOH. CASPARI KHUNII.



ARGENTORATI.
Typis & Sumptibus JOH. FRIDERICI SPOOR.
ANNO Dⁿⁱ M^o DC LXXXVIII.

Dno JOHANNI

Et

Dno WILHELMO U. J. L.

KHUNIIS,

Apud Sebusienses Consulibus,
Patruis optimis

JOH. CASPARUS KHUNIUS

S. P. D.



Aborem hunc qualem-
cunque nulla in publico
comparendi libido, sed
Magni Viri auctoritas
in lucem protraxit. Cui
cum non displicuisse conatus meos
intellexero, neminis profecto docti
fastidium vereor. mihi certe satis fe-
cisse videbor; cujus opera non nisi
obse-



obsequendi studio commendari cupit. Sed cur nominibus vestris hoc quicquid est inscripserim, nulla, opinor, causarum commemoratione opus est. Superest mihi in vobis avitum & post beati parentis obitum, paternum etiam sanguinem venerandi locus: quem nemo bonus negligit. Cujus honorem Vos quidem, uti quotidianis in publicum commodum meritis ornatis; ita mihi quoque curæ esse, qua licet, Vestrique nominis & in me meritorum sanctam apud me memoriam conservari, hac ipsa inscriptione testatum volui. Valete.

*Per scriptum Argentorati
die 17. April. 1688.*

STEPH.

1. (96)



STEPH. BRODERITHI
DESCRIPTIO
PROELII

inter
Ludovicum & Solymanum
ad Mohazium gesti.

RECOGNITA à SAMBUCO.

Regnabat eo tempore, quo Solymanus Hungariam validissimo exercitu est aggressus, anno 1526. Ludovicus, ejus nominis secundus, Hungariæ Boëmiæque Rex, Uladislai Cazimiri ex Anna de Candale Galla filius: qui patre in ætate pupillari amisso, agebat eo tempore, quo bellum est ei per Turcam motum, primum & vigesimum annum. Fuerat ei paucis mensibus

A bus

bus ante mortuum patrem, desponsata Caroli Imperatoris ac Ferdinandi Archiducis Austriae soror, Maria; quam statim, ut ad annos pubertatis pervenit, duxit in uxorem: Sorore sua natu majore Anna, eodem tempore Ferdinando in matrimonium tradita. Erat Ludovicus juvenis procertis, forma corporis supra alios aequales egregia, naturae singulari bonitate, & praecleara indole: virtutis ita insignis, ut si eum ad maturiorem aetatem pervenire contigisset, habuissimus in eo procul dubio, longe optimum, ac praestantissimum Principem. Ingenio erat miti admodum, ac minime feroci, ad omne rectum & honestum mire flexibili, & sua etiam sponte proclivi. Praeterea armorum tractandorum, equitandi, venandi, & alia ejusmodi juvenilia, & militaria opera exercendi studiosus, verax, constans, & secreti, si quod ei credidisses, tenacissimus. Erat eodem tempore regni Comes Palatinus, quem vocant, quae prima est a rege inter seculares dignitas, Stephanus Bathori superstes, Stephani Bathori, qui sub Matthia rege impigre, & magna cum laude

laude rem Transylvaniam administraverat, ex fratre Andrea nepos: & Transylvaniam praerat Joannes Zapoli, Comes Scepusiensis, is qui paulo post regnum est adeptus. A patre Stephano in amplissimis opibus cum fratre Georgio est relictus: tanta apud nobilitatem gratia, & favore, ut jam inde a puero omnes eum, veluti regni successorem, si illud haerede legitimo vacuum remansisset, observarent, & in eum unum omnium oculi essent coniecti. Majori Walachiae, quam Moldaviam appellant, Stephanus; minori, quam Transalpinam vocant, Radul imperabant, uterque Regi Hungariae subiectus. Banus Dalmatiae, Croatiae, & Sclavoniae (nam haec tres Provinciae ab uno Magistratu regebantur, quem nos maritimum etiam praefectum dicimus) erat Franciscus Bathiani, obsequiis familiaribus juvenis olim regi adhuc puero conciliatus. Arcem Themensensem, & eas regni partes, quas inferiores vocamus, Petrus Pereni tuebatur: & is coronam etiam regni, post mortem patris Emerici Pereni, apud eum relictam, cum eo, quem diximus, Joanne

Zapoli comite Scepusiensi, servabat. Sirmio, & ei regni parti, quæ inter Savum & Dravum per ripam Danubii jacet, Paulus Tomorii, Archiepiscopus Colocensis præerat, ex ordine eorum, quos fratres minores de observantia vocamus: vir strenuus, & qui, antequam eam religionem intrasset, plurima exhibuerat, nec modica suæ virtutis argumenta, cum hoste sæpius congressus. Vacante postea Archiepiscopatu Colocensi, cum ea bona, amisso paulo ante Belgrado, non minus defensore quam sacrorum ministro indigere viderentur: postulatum fuit in publico regni conventu ab omnibus, ut Paulus e religione, si exire abnueret, etiam vi, & auctoritate summi Pontificis Romani extractus, illi Ecclesiæ, illisque locis ab hoste defendendis præficeretur. Diu, multumque, ac verè, non simulate reluctatum, tandem voluntati regiæ ac regni parere coegerunt. In qua præfectura confessione omnium, perperam etiam de eo judicantium, (ut nulla excellens virtus sine invidia est) ita se gessit, ut nihil penitus prætermiserit, non solum, quod

quod ad strenuum militem, & Imperatorem, sed etiam, quod ad virum religiosum, & bonum Archiepiscopum pertineret: nihil de priore vitæ austeritate, neque in cultu corporis, neque in ulla alia re remittens, aut immutans. Comes Christophorus de Frangepanibus, ante menses aliquot, ab obsequiis Ferdinandi Archiducis, magnis promissis ad regni obsequia accersitus: cum postea loco beneficiorum, quæ expectabat, injuria non mediocri affectus fuisset, illuc, unde venerat, ad Ferdinandum redierat. Cancellarii munereungebatur Stephanus Brodericus, in ea parte Pannoniæ superioris natus, quæ nunc peculiariter Sclavonia nominatur: ad eum magistratum, ex legatione Romana, quam tunc obibat, paucis ante mensibus accersitus, majore ad bene agendum animo, quam facultate: qui hæc prodit. Thesaurarii magistratus erat penes Alexium Thurzonem, hominem (ut opinio multorum de eo erat) prædivitem, & eo magistratu aliquoties antea diligenter functum. Joannes Bornemizza Posoniensis & Budensis arcis præfectum

ſum agebat, non parvæ apud regem, quem ab incunabulis educauerat, eodẽ in hanc, vel in aliam voluntatem movendo, autoritatis: apud alios fere omnes magnæ venerationis, cum ob ſenium, tum propter immotæ cujusdam ſeveritatis, & bonitatis, ac illibatæ in regem fidei opinionem. Hi ferè, quos diximus, erant tunc publici magistratus. Cæteri Prælati & Barones ſuis quiſque privatis rebus operam dabant: præter Ladislaum Salcanum, Archiepiſcopum Strigonienſem, regni primatem, & ſupremum Cancellarium: qui, licet paucis ante menſibus, vel quia aliter facere non poterat, vel quietioris vitæ ſtudio, ſigillum regium, quod ſecretum vocant, in manus regias tradiderat, quod Stephano Broderico fuit datum: penes hunc tamen magna pars autoritatis reſidebat, resque hujus etiam nutu, pro magna parte, regerantur, cui ob dignitatem, ætatem, prudentiam, & rerum quas longo tempore adminiſtraverat, agendarum peritiam, rex adhuc inter omnes plurimum tribuere videbatur: præſertim ubi de ſumma rerum agebatur. Et is fere erat ſtatus rerum

rum in Hungaria: quando regi Ludovico nuntiatum eſt, Solymanum, pace cum omnibus finitimis in annos plures firmata, arma infeſta contra ſe terra aquisque movere. Cui ad id faciendum magnam præbebat opportunitatem, Belgradum, & Sabacz, paucis antè annis in poteſtatem redacta: Zalanke-men, & omnibus aliis oppidis citra Savum, eodem tempore dirutis, uſque ad Varadinum Petri: quem totum tractum nos, durante adhuc antiquo vocabulo, Sirmium appellamus. Quæ talem hoſti aditum in Hungariam patefecerat, ut quoties Savum tranſire, & in Hungariam irrumperet vellet, ægre poſſet ab eo prohiberi. Præerat tunc ei Pannoniæ inferioris parti, quod ſuperius dictum eſt, Paulus Thomorii: qui, ubi exploratum habuit Turcæ in Hungariam adventum, non contentus id per literas & nuncios sæpe antea regi ſignificaffe: conſenſis raptim levibus curribus, quos nos à loco Kotczo appellamus, vigefima Martii ad regem tunc Viſſegradi agentem repente advolat: adventum & apparatus hoſtis, ac pericula, quæ regno imminerent,

rent, edocet: suarum ad hostem reprehensivum vitium imbecillitatem narrat, celeritate esse opus, arcendum hostem Savi apud Belgradum transitu: & rem si in tempore provideatur, tametsi difficilem, non tamen esse prorsus factu impossibilem. Ad id, si necessaria sibi præstentur, suam operam pollicetur. Rex his rebus motus, & quod adventus Turcæ ex pluribus etiam aliis locis vehementer confirmabatur, ex eorum, qui tunc secum erant, consilio, conventum publicum indicit, ad diem divi Georgii martyris, quæ proxima erat sacra. ad quam cum frequentes omnes omnium Provinciarum ordines convenissent, decernuntur ibi ea, quæ ad regni defensionem pertinere videbantur: illudque imprimis, ut ad diem Virgini matri ab Elisabeth visitatæ dicatam, quæ in secundam mensis Julii diem cadere solet, omnes regni proceres, tam ecclesiastici, quam seculares, & tota nobilitas, viritum cum certa rusticorum parte, Tholnam armati conveniant, hosti inde cum rege obviam ituri. Rex interim ad bellum necessaria parat. Principes Christianos maxime

xime vicinos, per oratores communis periculi admonet: Boëmos item, & Moravos ac Slesitas tam nunciis, quam literis urget, ad auxilia debita, & aliâs sibi ad hanc rem promissa præstanda. Neque omittit Pontificem Romanum urgere, quantum maxime possit, ad eam pecuniam, quam in Hungaria ad militem conducendum Pontifex habebat, adaugendam. Nam de rege Polonia Sigismundo, patruo regis, alia prorsus ratio videbatur: quod is foedus cum Turca paulo ante pepigerat, extremum excidium à suo regno (quando aliter inter tot Christianorum Principum dissidia non posset) hoc pacto avertere conatus. neque videbatur Princeps integerrimus, & fidei observantissimus, contra confœderatum Principem auxilia ulla præstiturus. Eadem de Venetis ratio erat. Permittitur præterea in eodem conventu regi, ut si ob ærarii publici penuriam (quod mala administratione eorum, qui Reipubl. præfuerant, penitus exhaustum erat) videretur ei thesauri ecclesiastici pars aliqua attingenda, id ei facere liceret: quod ut fieri sine aliqua noxa posset,

Romanus etiam Pontifex suo jam diplomate indulserat. Designantur postremo inter illos, quos domi habebamus, duo huic bello gerendo duces: Christophorus Comes, quem ad Ferdinandum redisse, superius diximus: & Nicolaus Comes de Salm. Cum hæc & plura alia in hunc modum essent in conventu illo generali constituta: rex rebus omnibus rite consultatis, conventum dimittit: ipse, quæ statuta in conventu fuerant, quanta maxime potest diligentia, exequitur. Primum omnium scribit de his periculis ad omnes Principes Christianos, omnium auxilia implorat, maxime Cæsaris Caroli, & regis Gallorum Francisci, paulò ante ex captivo in libertatem restituti: utrumque summis precibus obtestatur, ne se in tanto discrimine deserant. Regi Gallorum & illud in memoriam reducit, quid sibi in oppido Piczigytone prope Mediolanum captivus, per oratorem suum de defendenda Hungaria, & de ferendis, si Deus eum pristinæ libertati restituisset, suppliciiis promiserit: nunc esse tempus, ut promissa huiusmodi persolvantur, quando
 ei

ei facta esset, divino munere eorum adimplendorum potestas, & sibi extrema immineret eorundem exposcendorum necessitas. Mittit præterea Oratorem expeditum ad alium sororium suum Principem Ferdinandum, & ad alios Imperii principes, qui tunc Spyræ Conventum Imperialem habebant. Mittit in Boëmiam, Moraviam, Slesiam. Agit cum Joanne Antonio barone Burgii, qui tunc Pontificis nomine apud regem oratorem agebat, ut instet apud Pontificem pro majori pecunia, ad tantum onus belli sustinendum, suppeditanda. Præficit dimidii argenti ex ecclesiis accipiendi summæ, Ladislaum Macedonium, paulò ante ex Episcopo Sirmiensi Quinqueecclesiensem, in gratiam Cancellarii factum, cum pluribus aliis. Nicolaum vero Gerendi Transylvaniæ Præsulem, argento huic vel in monetam cudendo, vel ex assensu Oratoris pontificii ad hos tantum solos belli usus militibus distribuendo. Exigitur præterea per thesaurarium pecunia ab abbatibus, præpositis, capitulis, à civitatibus, quas appellamus liberas, à Saxonibus, Transylvanis, à Judæis:

dæis: conquiritur undique nervus belli, ita ut intra paucissimos dies, collecta sit in hunc modum non parva vis pecuniarum, in eosdem, quos diximus, nervos belli distributa. Veniunt interim assidue modò literæ, modò nuncii ab Archiepiscopo Colocensi, à Waivoda Transylvano, Turcam jam Belgrado appropinquare: & aliquam copiarum partem, quæ præmissa erat, jam Savum transire. Quæ res aciores addidit & regi, & his qui apud regem erant, stimulos, rerum omnium appropinquandarum; & ante omnia hostis, quando jam Savi transitu arceri non posset, à Dravi transitu prohibendi. Verum hic locus postulare videtur, cum sit sæpe tam Savi, quàm aliorum fluminum, & locorum, mentio facienda: ut situm universæ Hungariæ, & maxime eorum locorum, per quæ hostis contra nos venit, per quæ nos obviam illi processimus, ubi prælium commissum sit, breviter explicemus.

Hun-

Hungaria Descriptio.

Hungariam totam (quam nunc vel ab Hunnis, vel ab Hungaris, populis ex Scythia certe profectis, qui eam incolunt, ita appellari constat) Danubius, omnium, quos Europa habet, fluviorum maximus, in Martiana sylva ad Ulmam ortus, ex Germania defluens, mediam interfluit, atque in partes scindit, in citeriorem & ulteriorem. (nam nunc ita loquimur, ac si Budæ, quæ regni sedes est, effemus.) Citerior est ea, ubi olim Pannoniæ fuerunt: hæc ab ulteriore Hungaria Danubio, & Austria & Norico, radicibus ad Viennam Cæcii, sic olim dicti, montis: à Slavonia Dravvo, à Bona & Rascia Savo fluminibus terminatur. Nam in locis Danubio propinquis, & ad Belgradum spectantibus, ad Savi usque fluminis ostia, cum Danubio excurrit, Walko, Posegam, Sirmium, tres insignes provincias, quas nos comitatus vocamus, à Slavonia divellens. Hujus Hungariæ citerioris caput est ea, quam paulo ante nominavimus, Buda, regni

regni sedes. Nobiliora in ea oppida, Alba regalis coronatione & sepultura regum insignis, Strigonium metropolitana, Quinqueecclesiensis, episcopalis sedes, præterea Sopronium, Jaurinum, & Sabaria, divi Martini, & Stridon, divi Hieron. patria: Flumina multa in ea nobilia, præter Danubium & Dravum, quos superius diximus. Lacus habet duos nobilissimos, Balaton & Ferto, alterum tredecim circiter milliarium in longitudinem protensum, alterum non ita longum, sed Balatone longe latiore. Huic citeriori Hungariæ, ubi Dravum transieris, annexa Sclavonia est, pars olim Pannoniæ superioris, inter Savum & Dravum posita: Sed Savum etiam longe transgressa, & usque ad flumen Hunam (hoc enim illi nunc est nomen) protensa, ubi Croatia incipit. Postquam Dalmatia sequitur, per oram Adriatici maris, quæ partim Veneto, partim Turcæ paret: minima ejus particula est regi Hungariæ subjecta: loca mediterranea Boznenses tenent, & Rasciani, qui olim Mesi superiores fuerunt. Sclavoniæ caput Zagrabia est: sedes episcopalis Croatia

tiæ

tiæ nunc Bigihon est, antea Fumium erat. Dalmatiæ, in ea parte, ubi Hungaro paret, Segnia, Bozna, Jaycza, Rasciæ sive Serviæ Belgradum: & in hunc modum se Hungaria citerior, & ea quæ inter Danubium & sinum Adriæ sunt, habent. Ultra Danubiana Hungaria montibus Carpathiis, supra Polonium incipientibus. & longissimo flexu ad littus Euxini maris porrectis, à Moravia, Slesia, Polonia & à Russia distinguitur, usque ad eum locum, ubi regio est, quam Maromarusiam vocamus. Ibi jam alii montes, & sylvæ ab eo loco Severinum versus tendentes, à Transylvania & Valachia Transalpina separant. Hanc ulteriorem Hungariam Tibiscus fluvius, omnium, quos Septentrio habet, fluviorum (quantum adhuc intelligere licuit) piscosissimus, in montibus Maromarusiis & salinariis ortus, mediam interfluit: Præter alia minora duo navigabilia flumina, in se recipiens Zamossium, & Marysium, utrumque ex Transylvania defluentem. Hæc Hungaria ulterior habet oppida nobiliora, ad Septentrionem Posonium, Tirnaviam, Trinc-

ci-

cinium, & ibidem fluvium Vagum prope Comoram in Danubium influentem: Nitriam & inibi Bistritiam, cum aliquot montanis oppidis, auri & argenti, cuprique fodinis nobilibus: item Vaciam, Pestum, Budæ oppositum, Agriam, Casfoviam, & aliquot Scepusii oppida non ignobilia: ad Meridiem verò Colociam, Bachiam, Zegedinum: ultra Tibiscum, Varadinum, Debrecinium, Rivulos dominorum, cum fodinis auri & argenti, Chanadinum Episcopale, & nobilissimam arcem Themensiensem: præfecturam, quæ tertium inter regni præfecturas locum obtinet: Severinum, ubi pontis olim à Trajano Imperatore extructi vestigia etiam nunc apparent, & alia quæ brevis historica nunc prolixius verat enumerare. Tibiscus ipse circa Titulium præpositura insignis, non procul à Varadino Petri, in citeriore ejus fluminis ripa sita, Danubium influit. Ultra eos montes, quos à Carpathiis ad Severinum protendi diximus, Transsylvania est, Daciæ olim pars. Ejus caput Alba Julia, vel à Julio Cæsare, vel ab Hijula potius quodam Hunnorum Principe ita dicta

dicta. Oppida complura nobilissima, in quibus Cibinium, Brassovia, Colosium, Bistricia, & plura alia à Germanis, quos nos Saxones appellamus, condita & habitata. In ea sunt Siculi, vulgò Zekel dicti, genus hominum ferox, & bellicosum: inter quos nullus neque nobilis, neque rusticus, omnes eodem jure censentur, Helvetiorum instar. Transsylvania ipsa rerum omnium est feracissima, præcipuè auri, argenti & aliorum metallorum: ad hæc salis montani. equos generat nobilissimos, vino abundat, sed non æque excellenti, ut Hungaria & Sclavonia. Transylvaniam duæ cingunt Valachiæ, Transalpina & Moldavia: illa Danubio, hæc mari Euxino admota: utraque cum Transsylvania eam Europæ nunc occupat partem, quæ olim Dacia erat. Sic totus iste tractus Transdanubialis, qui non solum Hungariam ulteriorem, sed Transylvaniam quoque, cum utraque Valachia, continet, Danubio, montibus Carpathiis, mari Euxino, & rursus eodem Danubio ex omni parte includitur. Et hæc de generali Hungariæ situ: nunc restat de his locis dicere paulo aliquan-

to particularius, in quæ tota hujus belli vis incubuit. Infra Budam, per ripam Danubii descendentes, præter quosdam ignobiliores pagos, & vicos, Rakos, post Tholna est, sedecim milliariis nostris Hungaricis à Buda remota. Inde Batha, sub Batha Mohacz, ad ripam Danubii situm. Mohacz ad dextram, in locis mediterraneis, Quinqueecclesias habet, civitatem ante hanc cladem in Hungaria satis insignem, quatuor milliariis vel paulo amplius à Danubio, tribus à Dravo remotam, Dravum versus Siclosium, ultra Dravum, Valpo arces nobiles habentem: à Mohacz porro, usque ad Dravum fluvium quatuor, vel paulo amplius milliaria sunt. Supra eum autem locum, ubi Dravus Danubio miscetur, in ulteriori ripa est oppidum Ezeek, & ibidem vestigia magnæ alicujus tempore quo Romani Pannonias obtinebant, urbis: coloniarum fortasse Romanorum ab ostio Dravi nonnisi duobus milliariis remotæ. In eo loco, ubi Ezeek est, Dravus in angustum coarctatus, ponti faciendum aptissimus: quod secuti nostri, tempore, quo Belgradum amissum est,

est, pontem ibi, per quem exercitus traduceretur, extruxerant. Post Ezeek, Erdevvd est, arx præposituræ Thituliensis, locus undique sylvis cinctus, & qui parvo labore, natura adjuvante, munitissimus effici posset. Post Baroh, Walcko, Zatha, & è regione Bachia, quam diximus: altera Hungariæ metropolis, in loco campestri sita, ut sunt omnia alia ulteriora, quæ inter Tibiscum & Danubium jacent, campestria & plena, atque ob id pecori & jumentis alendis imprimis utilia. A Zatha per eandem ripam, est Wilack, oppidum cum nobilissima arce, atque ibi primum aperitur beata illa, & fertilissima regio Sirmiensis, non vini solum toto Septentrione laudatissimi, sed etiam rerum omnium, quæ ad usum humanum pertinent, ferax: tot olim Imperatoribus, atque etiam (ut annales Romani habent) unius ad pontificatum Romanum euecti, mater, & alumna, oppido olim ejusdem nominis insignis, cujus etiam nunc vestigia extare dicuntur. Mira ibi est locorum amœnitas, mira soli fœcunditas, incredibilis æris temperies: quod propterea jam esse

constat, quod ea regio non est à littore Adriatico nisi tridui, aut, ad summum quadridii itinere remota. Prima in Sirmia ab Wilak recedentibus occurrit Bakmonoftra, sedes episcopatus Sirmiensis: ac, antequam ad Varadinum Petri perverneris, Kamanceh nobile oppidum: intra illud est Varadinum Petri, oppidum cum arce ecclesiæ Colociensi subiectum: quem locum, amisso Belgrado, pro Belgrado numeramus. postea est Zalan Kemen, & alia non magni nominis oppida, superiori Belgradensi clade per Turcas diruta. Inde in eo angulo, ubi Savus Danubio influit, arx Zemlen: inter hanc arcem, & Belgradum, ostia Savi, & in altero confluentis angulo Belgradum illud, tot nobilissimis cum hoste Turca commissis proeliis insigne: à cuius jam penè captæ oppugnatione, Joannes Huniad, Marthiæ regis pater, Hungariæ gubernator, cum fratre Joanne Capistrano, Amurathen olim Turcarum Imperatorem, summa cum nominis nostri gloria, repulit. Hanc arcem nos Nandor Albam vocamus, aliqui Albam Græcam dicunt, antiqui Thaurinum appellarunt.

Sita

Sita est, qua Hungariam spectat, in rupe præcipiti, oppidum sub se habens ejusdem nominis: hinc Savum, ubi Danubio miscetur, illinc Danubium præterfluentem despiciens. Et in hunc modum se habet Hungaria, & eorum locorum, ubi tantam cladem accepimus, situs. Nam ad dotes Hungariæ, quibus supra omnes Europæ provincias (si verum dicere licet) abundat, referendas, peculiari volumine esset opus. nos situm ejus, ut magis esset conspicuus, oculis legentium subijcere ita voluimus.

Rex igitur, ut ad institutum redeamus, ubi accepit, Turcorum copias, jam Savum transire, veritus ne illo superato, è vestigio ad ripas Dravi, & ad oppidum quod diximus Ezeck, ante se occupandum festinaret: ad eum locum præsidio retinendum, animum adjecit: quæ res demandata est comiti Palatino, qui tunc non procul à Dravo, in arce fraterna erat. Qui licet male pedibus affectus, id tamen curandum impigre suscepit. Cæterum illis, quibus mandatum erat, ut eodem vel irent, vel copias suas mitterent, mandata legnius, quam par erat, obeuntibus,

B 3

bus,

bus, Palatinus frustra id, quod aggressus fuerat, facere conatus, Budam ad regem venit: ubi accusata eorum, qui sibi adesse noluerunt, negligentia, postea apud regem mansit, regiæ ex hinc contra hostem profectiois comes. Sub idem fere tempus, rex factus est certior per secretum nuncium à quodam, cui hostis consilia, ac rerum ejus status erat exploratissimus, nihil esse consultius, quam si Vayvoda Transsylvanus, cum Transalpino, (nam & hujus fides regi in hac parte explorata esse videbatur) vel à tergo aggredierentur hostem, nihil tale cogitantem: vel illo recta contra regem tendente, ipsi junctis viribus Thraciam, omni præsidio nudatam, invaderent. ita enim fore, ut hostis vel opprimeretur in medio, vel certe ab incepto desistere, atque ad sua defendenda redire cogeretur. Fuit id consilium primo suspectum, ob nonnullas causas, quas longum esset commemorare. Deinde cum Strigoniensi archiepiscopo res fuit communicata: illo consilium approbante, præceptum est Vayvodæ Transsylvano, per Urbanum Batthiani, qui tunc forte

in

in Moldaviam mittebatur, ut re plenius cognita, id faceret, quod magis è Rep. esse arbitraretur. Et, si id putaret utilius, vires suas, & Transsylvanorum, cum Vayvoda Transalpino, ad illa loca converteret. Quæ res pro magna parte in causa esse potuit, quod Vayvoda ad tempus proelii adesse non potuerit. Jam dum hæc agebantur, non aderat solum, sed & præterierat tempus conventui Tholnensi designatum, & nemo adhuc ad eum locum venisse audiebatur: videbanturque omnes regem inspicere, neque prius Tholnam venturi, nisi regem ibi intellexissent esse. Invalescabant interim indies magis ac magis rumores de Turcæ ulteriori progressu: donec auditum est, eum Savo transito, aliquot castellis obviis dirutis, Varadinum Petri obsidere: & jam arcem (nam oppidum parum munimentorum habebat) acerrime terra & aquis oppugnari. Tum denique rex, licet neque ex Boëmia, neque aliunde quisquam adhuc advenerat, & paucas admodum copias apud se haberet, nequid tamen in tanto regni periculo omisisse videretur, quod à se fieri

B 4 posset,

posset, XXIV. Julii Buda exiguo comitatu egreditur, penes Danubii ripam, Tholnam versus paulatim iturus: sperans interim, alios quoque ad se venturos. Paulo ante hunc regis ex Buda egressum, missus fuerat Stephanus Bathori de Somlio, ad Vayvodam Transsylvanum, qui eum juberet, rejectis omnibus aliis consiliis, hostis adventu ita jam exigente, cum omnibus copiis Transsylvanis ad regem properare. Habuit tunc rex, cum ex Buda egrederetur, cum his, qui Mariæ reginæ & archiepiscopi Strigoniensis erant, equitum ac peditum ad tria millia. Eo die quo Buda egressi sumus, ad suburbanum Ambrosii Sarkani pervenimus, duobus milliariis à Buda distans, Erd loco est nomen, ibi rex equum amisit, quem habebat omnium charissimum, ac præstantissimum, repentino morbo absumptum: ex quo incredibili dolore est affectus. multi id pro infausto omine habuere. Ubi cum aliquot diebus rex fuisset commoratus, neque quisquam ad eum venisset, cum iisdem copiis, cum quibus illuc venerat, ulterius ad vicinum pagum, Erchii vocatum, procedit: ibi etiam

etiam multis diebus inutiliter consumptis, & solo Andrea Bathori ex primoribus tum, non contemnendis cum copiis ad eum veniente, per ripam Danubii ad Penteleum est itum, locum & ipsum (sicut & de Ezeek diximus) vetustate alicujus etiam Romanorum coloniarum vestigia servantem, ubi nobis à Vayvoda Transsylvano Georgius Basii cum mandatis præsto fuit. Summa mandatorum hæc erat: Vayvodam valde ancipitem esse, quid agere debeat, ob tantam, qui ad eum missi illis diebus fuerant, nunciorum varietatem. venisse ad se primum aliquot literas regias, deinde frequentes nuncios (in quibus Casparum etiam Horvvath de Wimgard, reginæ dapis in mensam apponendæ præfectum) quibus ad regem venire juberetur: venisse postea Urbanum Batthiani, qui consilia quædam de hoste à tergo cum Vayvoda Transalpino aggrediendo, ad se detulerit: venisse postremo Stephanum Bathori de Somlio, qui rursus priora illa mandata repetiverit, non revocatis aperte iis, quæ per Urbanum Batthiani fuerant nunciata. Atque ita prorsus se incertum esse, quid in-

ter tot consiliorum mutationes agere, vel quidnam horum mandatorum exequi debeat: ad omnia se, quæcunque regia Majest. jubeat, esse paratum. Sibi tamen videri illud consilium longe esse salutarium, quo ad regem venire jubetur. Serum jam esse illud de Turca à tergo aggrediendo: & ut valde periculosum, ita jam factu longe, quam antea, difficilius, etiamsi maxime conducatur. Jam enim Transalpinum, cum quo id facere juberetur, coactum esse mittere, in castra Cæsaris Turcarum, pro obside filium, quem unicum haberet. His à Georgio Basii cognitis, rex inde ad Felduar (ita oppidum in eadem ripa Danubii situm appellamus) eodem, quo Basii mandata domini sui exposuerat, mane profectus, Georgio ibi in Senatum vocato mandat, ut dies, & noctes, quantum maxime possit, ad Vayvodam festinet: placere regi, Vayvodæ consilium: & ita nunc, hoste limites regni ingresso, & contra se properante, ex usu esse. Itaque rebus omnibus & consiliis aliis postpositis, Vayvoda cum omnibus tam Transylvanorum copiis, quam aliis, quos per viam

viam ad regis castra veniens ubique offenderit, ad regem festinet, omnes, quoscunque possit, in castra regia trahat, non nobiles solum, & militares, sed etiam agricolas. Dantur literæ ad Transylvanos, dantur & ad episcopum illius provinciae Joannem Gozthoni, reginæ cancellarium: dantur ad Vayvodam ipsum, Georgio id ex voluntate (ut dicebat) domini sui suadente, hæ, quas ille aliis ad eos facilius movendos ostendere posset, solito arctius scriptæ: & in quibus sub pœna infidelitatis ei mandabatur, ut ad regem dies ac noctes festinaret. Mittitur cum Georgio Basii, ut res facilius & celerius confici posset, Joannes Statilius, acris & prompti ingenii vir, ac non mediocris literaturæ, Petri Berizlai episcopi Vesprimiensis & Bani Martini, viri pacis & belli artibus clari, ex sorore nepos. alii nondum à rege discesserant: & ecce infestus nuncius, Varadinum Petri per plures dies à nostris viriliter defensum, omnibus fere defensoribus interemptis, muro (quo pervetusto, & ideo non satis valido, arx erat circumdata) crebris tormentorum ictibus in terram dejecto, in ho.

hostium potestatem venisse: atque eos inde terra & aquis ad alias propinquas arces, maxime ad Vylak oppugnandum, properare. Rex hoc nuncio consternatus, tanto magis properare jubet eos, quos ad Vayvodam mittebat. Scribuntur præterea literæ ad omnes partes. Mittuntur nuntii ad Georgium comitem Scepusiensem, qui non longe ab Alba Regali, cum quinque hominum millibus esse dicebatur; ad Franciscum Bathiani, Banum Croatiæ ad comitem Christophorum, quem jam fama erat à Ferdinando digressum, in Croatiam ad patrem pervenisse, ut acceptis inde armis, equis & domestico milite, ad regem instructior veniret. Ad hæc Ladislaus Macedo Budam ad reginam celeri cursu ire jubetur. Petitur à regina, ut fratrem Ferdinandum, & in ejus absentia præfides Austriæ, pro subsidiis antea petitis, regi quam primum submittendis urgeat: & maxime pro tormentis bellicis, quibus hostem instructissimum audiebamus, nos non valde abundabamus. Deinde, ut regina urgeat Boëmos quoque, & illas copias Boëmicas, pro quibus

bus nomine & ære suo privato conducendis Mezericio Moravo regulo pecuniam dederat. Urgetur per literas Thomas Nadasdinus, qui ad Ferdinandum missus fuerat, ut instet apud eum, narratis & regi ac regis periculis, & præcipue Varadini Petri amissione, ne princeps, regi duplici cognatione, & periculorum etiam societate conjunctus, regem in tanta necessitate deserat. Idem agere jubetur Nadasdinus apud alios imperii principes, qui tunc (ut superius dictum est) Spiræ conventum imperialem habebant. Inter hæc Paulus Thomorii, qui adhuc ante Varadinum Petri expugnatum, dum duo equitum millia haberet, quæ sola tunc cum eo erant, summæ temeritatis esse judicat, tantæ hostium multitudini se opponere: relictis in præsidio arcis mille circiter pedibus, & paucis equitibus, quos in arce ab hostibus defendenda periisse diximus, in alteram Danubii ripam transgressus fuerat. Ubi quantum poterat, hostis celeritatem retardabat, tam terram quam aquis. Habebat enim & super Danubio copias navales, eorum, quos nos

nos Nazadistas appellamus, non parvas, hosti tamen longe impares. Rex vero oppugnatione Varadini Petri audita, per ripam Danubii, ex eo loco, quem supra diximus ad Pakos, ibi biduum commoratus, & erat dies transfigurato Salvatori sacra, Tholnam pervenit, aucto jam aliquantulum exercitu: & cum Tholnam intraret, habuit ad quatuor, vel paulo amplius equitum millia. Tholnam intranti regi, prodiit obviam, cum his qui pauci jam Tholnam convenerant, comes Palatinus: qui adhuc ex secundis castris, quæ eum in Erchii diximus habuisse, Tholnam fuerat præmissus. Rege Tholnæ existente, convenerunt ex omnibus fere tam citerioris, quàm ulterioris Hungariæ provinciis, quas nos comitatus appellamus, frequens numerus. supervenit & comes Georgius Scepusiensis cum trecentis, vel paulo amplius equitibus gravis & levis armaturæ, ac mille circiter ducentis peditibus. Affuit & Hannibal Carthaginensis Cyprius cum mille trecentis peditibus, pontificis pecuniis conductis. Venerunt & aliæ pedestres pontificis copiæ, quæ omnes in unam
sum-

summam collectæ, efficiebant quatuor peditum millia armis & robore militum eleganter instructæ. Atque ex hoc numero, duce Leonardo Gnoienskii Polono, egregio castrorum metatore, & ad hoc ipsum præcipue conducto, Poloni mille & quingenti: qui rebus omnibus, quibus hoc militum genus commendari solet, alios peditatus longe anteibant. Venerunt per hoc ipsum tempus & nonnulli ex episcopis: Paulus Vardaii Agriensis, Franciscus Perenni Varadiensis, & plures tam episcopi, quàm seculares. Dum Tholnæ essemus, consultatum est diligenter frequentissimo senatu, quotidie fere, de rebus regni, de ulteriori regis progressu, ac rursus de retinendo transitu Dravi: quando jam & de Savo, & de Varadino Petri actum esset: & Turca, expugnatis jam omnibus penes Danubium castellis, & arce etiam Vilak in potestatem recepta, ad Ezeck adventare diceretur. Designatur itaque rursus, qui properet ad Dravi transitum ante hostem occupandum, idem comes Palatinus, qui prius. Adduntur plures ex optimatibus, qui eum sequantur cum
copiis:

copiis: quorum aliqui, dum mandatum regium exequi recusant, dum privilegia sua, & morem baronum sub regiis tantum signis militandi jactant, ea quoque res, Dravi scilicet defensio, fuit prætermissa: Palatino, tametsi eadem qua prius corporis valetudine impedito, nullum tamen laborem recusante: quem cum ad Mohachium progressum, cæteri qui mittebantur, sequi recusarent, privilegia sua (ut diximus) allegantes; rex in frequenti senatu, ubi de hoc agebatur, subito in iram versus: Video, inquit, ego unumquemque capite meo (verba enim regis, sicut fuerunt, ita ponemus) excusationem & salutem capiti suo quærere. Ego personam & caput meum ideo in hæc pericula adduxi, ut illud pro hujus regni & vestra salute omni fortunæ discrimini objicerem. Ne quis igitur sit, qui possit excusationem aliquam suæ ignaviæ capite meo prætere, neve possit aliquid mihi imputari: ibo ego, DEO optimo bene juvante, cras vobiscum in persona, eò, quò alii sine me ire nolunt. His dictis applausu multorum, admiratione vero omnium, qui aderant, subsequuto
si-

signum in sequentem diem proficiscendi canere jubet: quibusdam, qui non ignorabant, quid inde periculi sequi posset, frustra profectionem hujusmodi dissuadentibus. Ex Tholna igitur sequenti die profecti, pridie ejus dici, qui erat assumptæ virgini matri dicatus, Zeckzardum, inde binis castris Batham, pervenimus. Fuerunt prius missi, invalescente in horas hostis appropinquatione, qui exercitum per pagos & vicos huc illuc dispersum in unum cogere, & Batham compellerent. Fuit missus episcopus Boznensis, Georgius de Palina, vir juris scientia & vitæ integritate clarus, qui Paulum Thomorii eòdem venire juberet. Cum itaque Batham omnes convenissent, & tempus exigere videretur (id & ad eam diem videbatur, non sine gravi detrimento & incommodo dilatum) imperatorem aliquem exercitui præficere: rex animis ac suffragiis omnium à singulis secreto exploratis, cum multo majoris partis vota in Monachum inclinare videret: eum cum comite Georgio Scepusiensi, fratre Vayvodæ, totius exercitus imperatorem declarat: non
C omni-

omnibus eam ducum, præsertim Monachi, declarationem approbantibus, quibusdam etiam satis graviter id ferentibus: quos tamen postea omnes vidimus dicto duorum obsequentissimos fuisse. Verum Thomoril, cum regis voluntatem eam circa se esse videret, ut curam ducendi exercitus omnino susciperet, diu est, multumque reluctatus, nunc regularem professionem, nunc imperitiam, ac virium suarum tanto oneri ferendo imparitatem causatus: habere dicebat regiam Majest. multos claros viros, ex ordine patritio, seculares, quibus hoc muneris longe magis conveniret. nominabat Comitem Palatinum præsentem & Vayvodam absentem: utrumque in magnis expeditionibus versatum, & ducendi exercitus aliis omnibus quos Hungaria haberet, peritiorum: ad hæc, Zondii juvenes, non carentes tamen & ingenio, & ministris longe se bello gerendo aptioribus. se tanto oneri omnino imparem, ut qui tale bellum, quale tunc suæ Majest. instaret, ne oculis quidem unquam vidisset: neque id onus ullo pacto subiturum,

rum, etiam si rex caput ei amputare juberet. His & aliis ejusmodi tam publice, quam in secretis regis colloquiis frustra sæpe commemoratis, rex nihilo sedus eum ducem belli declarat. Addit e, quod diximus, Georgium comitem, Vayvodæ fratrem, qui & ipse diu est eam provinciam pertinacissime deprecatus. Tandem ea lege consensit, quod ei nemo alius, nisi frater Paulus (ita enim dicebat) collega daretur: utque, ubi frater advenisset, liberum esset ei statim hoc munere sese abdicare, quod facile fuit concessum: quod longe jam antea fuerat decretum; ut cum Paulo Tomorii & comite Christophoro Vayvoda, dux huic bello gerendo præficere-tur. nam comes Nicolaus de Salm valetudinem adversam excusaverat. His itaque peractis, duces ad locum castris prope oppidum Mohacz capiendum proficiscuntur. Erat id oppidum episcopatus Quinqueecclesiensis, inter Batham, & ostia Dravi fluminis, in ripa Danubii situm. Danubius, paulo supra Batham scinditur in duos alveos: quorum major ulteriorem, quæ campestris est,

est, Hungariam secat: minor Baham & Mohacium alluit. ambo infra Nohacium in unum coeuntes, insulan ibi efficiunt. Mohaczi vicus sive oppidum est satis celebre; habet circa se quatuor versum ingentem planiciem, nullis collibus vel sylvis impeditam. Habet ad solis occasum Quinqueecclesias, civitatem (ut diximus) ante hanc cladem sitis insignem. A Septentrione est ei, quam diximus Batha: ab Oriente habet illum minorem Danubii alveum, à Meridie quatuor & amplius milliariis remouum Dravum fluvium, inter quem & Mohacium sunt partim colles vitiferi, partim palustria quaedam loca: & in hoc ipso spacio erat, non procul à Mohacz, aqua potius quaedam palustris, quam quod ea vel palus, vel amnis vocari possit, Krasso eum incolæ appellant. ultra quem habebat Tomorii quinque aut sex equitum millia in castris, partim ex his, qui ab initio cum eo fuerant, partim qui postea cum Petro Perenni, & cum aliis ad eum advenerant, quos iussu regis ex ulteriori ripa Danubii in citeriorem traduxerat, cum exercitu regio conjungendas.

das. Loco igitur castrorum cum collega prope Mohacium capto, ac diligenter ex præscripto etiam Leonardi Gnojenskii metato, & sua cuique statione assignata: ipse rursus ad suos, qui ultra illam aquam in castris erant, cum Petro Perenni proficiscitur, illos quoque, si id eis persuaderi possit: in castra regia secum adducturus. Quo ubi pervenit, & ubi militibus & copiarum ductoribus in unum convocatis, voluntatem regiam, & pariter suam de castris retroducendis exposuit: tum vero milites ad unum omnes fremere, indignari, sese ab hoste, cui obviam iri oportebat, cum quo manus, si viri essent, strenue forent conferendæ, abduci: fugam meditari, non pugnam, principes, qui talia regi suaderent ocio & inertia assuetos. Veniat modo rex & secum in hostem arma ferat: victoriam fore in manibus suis. Exploratum sibi esse, habere quidem hostem ingentem vim hominum & tormentorum: exercitum tamen ejus imbellem esse, & inermem: vix decimum aut vigesimum quemque telum aliquod habere, quo nocere possit. Illud etiam

efſe ſibi compertum dicebant, omnem illam ſtrenuam vim, & invictam Turcarum manum primum ſub Belgrado, poſt in expugnatione Rhodi cecidiſſe; agat modo magnanimus dux cum collega, quæ ſunt ſtrenui ducis: omnia proſpere caſura. Avellat regem, & ſtrenuum quemque militem ab illa inerti ſacerdotum, & aliorum pugnam detreſtantium turba, qui regem etiam ipſum de animo & corpore præſtantem, ſuis ignavis moribus, & conſiliis corrumpere, & effœminare, & ex præſtantiffimo juvene, ſui ſimillimum reddere conentur. Dum hæc in illis caſtris aguntur, jam apud Mohacium omnes loca in caſtris ſibi designata occupaverant, & ſub tentoriis agebant. Rex adhuc ſe in Novavilla Macedoniorum, quæ inter Batham & Mohacium eſt, cum paucis continebat: non parvo expoſitus periculo, ſi hoſtis non multum inde remotus, paucitatem, quæ apud regem erat, animadvertere potuiſſet. Sed regis factum in aliud tempus, ubi longe glorioſius pro patria occumberet, fortuna reſervabat. Advolat interim repente ex caſtris,

ſtris, nocte intempeſta, ad regem ſomnum carpentem, Michael Podnamiczkii, ab optimatibus miſſus, afferens pro re certa, Cæſarem Turcarum Dravum jam tranſviſſe, cum magna copiarum parte: reliquam cum omni celeritate traduci: certamen nullo jam modo differri ulterius poſſe. Orare optimates regiam Majeſt. ut, omni mora poſtpoſita, ad eos in caſtra veniret, de prælio cum hoſte conſerendo conſultaturus. Rex his quæ Podnamiczkii attulerat cognitæ, & advocatis his paucis conſultatoribus, quos ſecum habebat, conſultat quid in re tam trepida & ardua agendum eſſet. Occurrebat regi conſilium Vayvodæ Tranſſylvani, & comitis Chriſtophori, quorum uterque per nuncios, qui ab illis paulo ante redierant, damnarat conſilium eorum, qui regem ante tempus ad locum hoſti adeo propinquum adduxerant. Fuïſſe regi vel Budæ expectandum, vel in alio quopiam remotiore ab hoſte loco ſubiſtendum, dum omnes regni vires & auxilia conveniſſent. Hortati fuerant regem, ne ante ſuum ſaltem adventum, manus cum hoſte conſereret.

ret. Nunciabat & illud Vayvoda, per Joannem Statilium, venire secum ex Transsylvania copias cum numero, tum robore militum ita præstantes, ut in eis posset rex vel præcipuam ponere spem victoriæ. Et hæc igitur veniebant regi in mentem, & ante oculos ei versabantur, quæ Senatus nunciabat. Cui si non paruisset, si quid adversi contigisset, hoste præsertim adeò propinquo, & militibus tanto ardore pugnæ flagrantibus, videbat omnem rei male gestæ, aut occasionis prætermittæ culpam in se unum conjectum iri. His curis anxius, statuit tentare optimatum animos, si quo pacto ad Vayvodam saltem & comitem Christophorum expectandum, & ad castra interim, si hostis urgeret, in tutiorem locum transferenda induci possent. Mittitur ergo in castra, eadem ferme illa noctis hora, qua Podnamiczkii venerat, cancellarius, qui apud regem erat, suasurus primoribus, maxime ducibus belli, & Strigoniensi archiepiscopo, ac comiti Palatino (nam reliquam procerum simul & vulgi multitudinem à nutu istorum dependere non ignorabat) proelii dilationem.

nem. Jubetur Cancellarius commemorare omnia ex ordine, quæcunque à Vayvoda, & à Christophoro regi fuerant nunciata: ponere ei ante oculos, quam manifestum excidio regno immincat, si rex cum tot primoribus, tanto totius regni Hungariæ nobilitatis & militiæ flore, sese tam aperto periculo exponeret. Nam si contingat (id quod hostium multitudine & apparatu cum paucitate suorum collata, magnopere esset extimescendum) regem succumbere, quid postea esse, quod possit hostem remorari, aut impedire, quo minus tota Hungaria parvo negotio potiatur? Dicebat insuper, esse longe fortasse utilius, dum alii venient, dum Vayvoda cum Transsylvanis, Banus Sclavis, Christophorus ex Croatia, Boëmi cum Moravis, & Slesitis, & si quæ alia auxilia essent ventura, adesse possent, exercitum abducere in aliquem tutiorem locum: vel retro etiam, si hostis eam necessitatem imponat, aliquantulum cedere: minus calamitatis accepturam esse Hungariam, si hostis eam totam à Mohacchio usque ad Posonium pervagetur, ac ferro & igni divastet: quam

si tanti exercitus, in quo rex, & tanta sit procerum, nobilium & militum turba, uno proelio deleantur. His enim delictis, quid postea spei regno reliquum esse? Rege autem, & tot proceribus, ac tali milite salvo, faciliora fore omnia: eo præsertim rege, qui generis propinquitate ac necessitudine sit longe lateque universum Christianum orbem circumplexus. Hæc cum cancellarius, quem admodum iussus erat, eadem illa nocte ad proceres, primum primoribus singulis seorsim nocte aditis, deinde ad Senatum universum detulisset, nihilo magis profecit, quàm si nihil eis fuisset nunciatum: adeò omnium animi erant partim vana victoriæ spe certaminis avidi, partim metu dissuadendæ pugnæ, cujus desiderio videbant militum animos accensos, occupati. Rex igitur sub primam lucem in castra venit: & quia nondum ex Buda naves venerant, quæ tentoria, & alia in castris regi necessaria deferebant, in domum episcopi, oppido adjacentem, divertit, tentaturus ibi quoque, quod per cancellarium paulo ante frustra tentaverat. Convocantur igitur
ad

ad regem omnes omnium ordinum & nationum consilarii, qui Senatui ex ordine etiam militari interfuere frequentes: & ex Boëmis quoque, & Moravis, illi qui ad eos prævenerant. Agitur diligenter cum Senatu, & militari ordine, quid factu sit opus: cum nemo adhuc eorum qui ex Transsylvania, Slavonia, Croatia, Boëmia, Germania expectarentur, adesset: Quorum plerosque certa spes esset brevi affuturos, hostis autem in propinquo esset, non nisi duobus ad summum milliariis à castris regiis remotus, pugnam fortasse nullo pacto dilaturus: quid faciendum regi censerent: transferendane aliunde castra, pugna, interim dum hi qui expectabantur advenirent, differendæ gratia; an belli fortunam cum hoste experiendam? Aderat his consultationibus Paulus etiam Thomorii, proxima nocte ex aliis castris hac ipse de causa arcessitus: qui cum à proelio cum hoste conferendo videretur non alienus, rex miratus, quæ spe animum haberet, & ejus etiam à tali proposito avertendi gratia coram universo senatu jubet cum interrogari,
pri-

primum de suorum, deinde hostium numero. Nam & id sciebat ille, magis ipsi, quàm ulli alii constare, ob frequentes exploratores & transfugas, qui ad eum assidue veniebant. Ad primum respondit, tam in castris regiis, quàm in suis (erant enim quod supra diximus, divisa) non esse suo iudicio supra viginti millia armatorum. In castris vero hostium, dixit se certo intelligere ad 300000. hominum. quæ res, & tanta nostrorum cum hostibus imparitas, cum animos omnium vehementer perculisset: subdidit repente ille, non esse hostes propterea magnopere formidandos. esse enim illam multitudinem & inermem magna ex parte, & imbellem. Instanti regi rursus percunctando, quotnam crederet hostium millia esse bello aptiora & selectiora? respondit, 70000. Is quoque numerus visus est exercitum nostrum quàm longissime exuperare: præsertim cum idem tormenta etiam bellica grandiora dixisset esse supra 300. His tamen diu multumque consultatis, & tam Monachi consilio, quam animis fere omnium (præter paucos, qui nescio quo vano metu

metu ducti, non audebant palam quod sentirent proferre) jam per se ad pugnam decernendam spectantibus: supervenere repente inter medias has consultationes, missi ex aliis castris: qui cum in Senatum intromissi fuissent, dixerunt, se nomine eorum, qui in aliis castris erant, tam ad regem, quàm ad Senatum mandata habere. Ita prius cum solo rege in secreto conclavi collocuti, postea inde cum eodem rege egressi, monent Senatum accurate, nomine suorum, ne regem à pugna cum hoste conferenda dehortentur, habere se vires hostium, licet hi numerosi sint, plane exploratas: victoriam esse in manibus, modo fortuna, quam Deus eis obtulisset, uti velint. Venirent igitur cum rege, & castra, Deo bene juvante, cum suis castris hosti vicinioribus, & illi invadendo opportunioribus, jungerent. Quod si quid aliud regi persuadere niterentur, illis paratum esse exitium: seque ab hoste contra nos, si castra nostra castris illorum quàm primum non admoveremus, venturos affirmabant. His inter ipsas belli consultationes coram rege & Senatu expositis, illis

illis etiam qui saniora consilia sequebantur, tam atroci denunciatione deterritis, pugna decernitur: nulla spe, neque Vayvodam, neque Christophorum, neque Boëmos ad tempus proelii affuturos. Banus tantum Croatiae, Franc. Bathianii, qui jam non procul à Quinqueecclesiis cum copiis Sclavonicis erat, spem faciebat, sese intra biduum, aut triduum affuturum. id quod postea evenit ita. Fuerunt qui dimisso etiam Senatu, multum improbarent consilia pugnae, ita precipitanter incundae. Fuit inter alios Franciscus Perenni episcopus Varadiensis, festivi ingenii juvenis, & ita certo scribendi caractere praeditus, ut ei neminem nostrorum (nisi fortasse Thomam Zalahazii episcopum Vespriniensem) in hoc genere praeferrere velim, praesertim si tantum ingenio excolendo, quantum ocio, & his rebus, in quibus juvenes nobiliores, magno suae & patriae damno tempus plerumque contere solent, indulgisset. Is igitur, quasi eorum, quae paulo post secuta sunt, praescius, regi, non sine omnium, qui aderant, admiratione dixit, eum diem, quo pugnandum esset,

post-

postquam ita placeret, 2000. Hungarorum martyrum (nondum enim hunc numerum exercitus excedebat) duce fratre Paulo Thomorii, pro Christi religione occisorum fore consecrandum: ac pro eorum canonisatione, quod vocant, cancellarium, si is huic bello superstit, in urbem fore mittendum, ut qui Pontifici & supremis patribus sit ad legationes Romae defunctas bene notus. in quo utinam ille falsus fuisset vates. Sed erunt fortasse, qui accusaturi sint audaciam nostrorum, qui ita cupide hanc pugnam exposcebant: & hanc vel temeritatem, vel improvidentiam sint vocaturi: quod neque nunc deesse video. Sed ignorant multa illi fuisse in causa, quae prudentissimos etiam, & summos imperatores, ad idem facile impellere potuissent: & ante omnia mirus & incredibilis, ac fatalis penè quidam militum ardor, ac certa & indubitata in omnium fere animis victoriae spes. Ad haec, occulta quaedam Pauli Thomorii, cum magna hostilis exercitus parte, consilia, cum his scilicet, qui vel Christiani ipsi, vel Christianis parentibus nati erant, & qui tor-

men-

mentorū bellicorū apud hostem curam habebant, partim Germani, partim Italici generis. quin & illud accedebat, quod non videbatur satis tutus ab hoste adeo propinquo recessus: hoste præsertim ob equorū velocitatem ad nullam rem magis apto, & prompto, quam ad persequendum cedentes. Pugna igitur in hunc modum decreta, ea, quæ ad pugnam pertinebant, curantur. Ante omnia Thomorii in castra sua, quæ in proximo fuisse diximus, proficiscitur: ibi ægre à suis impetrat, ut retro aliquantulum concedant, & se cum exercitu regio conjungi patiantur. Ita sequenti die castra nostra cum castris illorum, medio fere milliari, infra Mohacziū conjuncta fuerunt: sic tamen, ut & ibi nostri illis non miscerentur, sed esset parvum intervallum inter nostra & illorum castra relicta. Eodem tempore venerunt ex Buda naves tormentis bellicis majoribus & minoribus, pulvere item bombardico, & quibusdam aliis ad pugnam necessariis plenæ: novem etiam machinas à Viennensibus missas advehentes. Venerunt &

Ale-

Alexii Turzonis 200. fere pedites, cum aliquot machinis: nam ipse cum episcopo Vespriensi Budæ relictus erat apud reginam. Hi duo ad ejus custodiam & obsequia deputati fuerunt: fugæ etiam ejus postea comites, qui in hunc usque diem in reginæ obsequiis permanserunt. Affuit Banus etiam Croatiae, die dominico, qui pugnam præcessit, cum elegantissimis copiis: fuere ad tria millia equitum, ac non ita multi pedites. Venerant cum eo Joannes Tahii, Joannes Banffii, & nonnulli alii ex regni Sclavoniae proceribus. Venit postridie ejus diei mane, rege etiam instruente (nam eo etiam die creditus est hostis in proelium descensurus) Simon de Erdevvd, episcopus Zagrabienfis, cum fratre Petro Erdevvdii, cum septingentis amplius equitibus, viris, equis, armis decenter instructis. Advenit eodem fere temporis momento Stephanus Azel, cum 300. equitibus ferme, quos Joannes Bornemiissa regi in subsidium miserat, cum aliquot millibus aureorum, supremum à patre filio alumno munus. Venit circa serum ejusdem diei, Joannes Zere-

D

chen,

chen, supra 2000. peditum, eorum qui circa Dravum colunt, & insignes sagittarii habentur, ducens partim in suis, partim in capituli Quinqueecclesiensis possessionibus collectorum. Venerunt & alii plures intra illud triduum: illi præcipue, qui propinqui erant, & in his Philippus More episcopus Quinqueecclesiensis, & frater ejus Uladislavus More. Quibus omnibus simul congregatis (fuerunt autem ad viginti quatuor vel viginti quinque hominum millia: nam navaliū copiarum, quæ & ipsæ eodem in loco erant, nullus in eo bello fuit usus, Cæsare cum illo suo tam numeroſo & potenti 300000. hominum exercitu, nonnisi per duo milliaria distante) consumpti sunt illic tres dies, qui pugnam antecesserant, partim in pugna præludiis, quæ assidue fiebant, majori semper hostium quàm nostrorum damno: partim in consultando, quo pacto, & in quo loco cum hoste congregiendum, quem in modum acies esset struenda, ubi rex in acie stare, ubi eques, ubi pedes, ubi bombardæ poni deberent, quas ad octuaginta habebamus, cum hostilibus minime



me conferendas. Disputatum fuerat ante illud tempus diligenter de regis persona: fuerant, qui censebant eum cum aliquot hominum millibus selectis, procul ab acie stare debere. quod cum nullo pacto exercitus laturus esse videretur, qui regem de more volebant prælio interesse: agitatum est & illud, ut regis loco, armis regiis alius indueretur. Sed id quoque vitum est, sine ingenti exercitus reclamatione, ac consternatione fieri non posse. Decretum igitur postremo est, cum satis anceps pugna imminere videretur, ut essent qui regis servandi curam haberent, si quid gravius accidisset: & regem, simul ac aciem, ita ut restitui posse amplius non speraretur, inclinare viderent, ex media acie ereptum abducerent. Demandata fuit hæc cura Casparo Raskaii, Valentino Torok, & Joanni Kalnaiti, tribus præstantissimis viris, & regi sine ulla controversia, fidentissimis: dispositis etiam ad id equis velocioribus, quibus rex, si ita necessitas postulasset, in evadendo uteretur. Sed ut ad rationem disponendæ aciei redeamus, erant non pauci, & in his Lampertus
D 2 Gnoins-

Gnoinskii, qui consultissimum nimirum censerent, si curribus quibus rex maxime abundabat, acies undique cingeretur: ac si intra septa & munimenta certamen fieret: hoc enim pacto futurum dicebant, ut hostis non ita facile nos posset (quod magnopere timendum erat) circumvenire. Approbant hanc struendæ aciei formam Radisch, Bosich, & Paulus Bakith: ex quibus posterior tribus legitimis proeliis à Solymano cum hoste commissis, interfuisse se dicebat. Itum est igitur pedibus in hanc sententiam. Demandataque ea cura Gnoinskii, & quibusdam aliis: serius tamen quam oportebat, & eo demum vespere, quo in sequentem diem est cum hoste pugnatum. Itaque hæc quoque res, sicut alia multa, fuit neglecta. Aciem eo die, quo est pugnatum (qui fuit xxix. Augusti mensis, divo Joanni Baptistæ decollato sacer) ex sententia eorum, quos paulo ante nominavimus, ita extruere placuit: ut quanto latius extendi posset, extendere- tur: in quo illud potissimum est spectatum, ne ab hoste circumveniremur. Deinde divisus est universus exercitus in duo

duo agmina. In primo agmine, duces belli erant nullo certo loco: sed ubi res postulasset, dextrum ejus cornu Banus Croatiae, cum Joanne Thahii: sinistrum, quod Vayvodæ Transsylvaniæ, si adesse potuisset, designatum fuerat, Petrus Perennii curabat. Erant in hoc priori agmine plures ex primoribus, in quibus Antonius Paloczii, Franciscus Hommonaii, Gabriel Perennii, Thomas Zechii, Andreas Bathorii, Emericus Czibak & plures alii. Tormenta bellica statim post principia posita erant. Secundum agmen, sive illa acies, quam nos statariam appellamus, in qua rex erat, ex equitatu magis constabat, paucos admodum pedites à lateribus habebat: inter hanc aciem, & primam, non intercedebat, nisi spacium lapidis jactus. In eo agmine ante eum ordinem, in quo rex erat, triplex erat ordo, magna ex parte ex cubiculariis regiis & baronibus conflatus: quorum dux erat Nicolaus Tharczaii, vir & manu promptus, & singulari in regem fide. Ibi- dem erat uterque aulæ regiae præfectus, Petrus Corlatkei, & Andreas Trepka Polonus. Erat & Stephanus Sliik Boëmus,

cum aliis Boëmis, & Moravis: & hi ante regem, regi proximi erant. Tres illos ordines sublequebatur ordo regius, & in ejus ordinis medio rex ipse, nempe

*Ingenio, specie, virtuteque, numinis instar,
Spes Patriæ, regumque decus, si fata tulissent.*

Ad regis dextram erant, antistes Strigoniensis, & Zagrabienſis: nam Agriensis adhuc ex Batha Budam fuerat missus, post Zagrabienſem, Varadienſem, Quinqueecclesiensis, Sirmiensem: duo enim ex prælatis Jauriensis & Vaciensis, ad lævam positi erant. Post Cancellarium, Nitriensis, Bosnensis, præpositus Albenſis & post hunc Secretarii & cubicularii. regis in parte sinistra, penes regem, locus erat relictus comiti Palatino: qui licet æger pedibus, & vix equo insidens, tamen modo in primo, modo in secundo agmine diligentissime versabatur. In læva igitur parte cum Palatinus à loco suo abesset, erant penes regem aliquot barones: & illi duo, quos diximus, antistites. Regi à tergo adhærebant Cze-tricz, Maülath, & Caspar Horvvath, stabuli regii magister. Post proceres simili modo erant hi, quos quisque sibi magis

fidus,

fidus, & strenuos pro tutela corporis sui delegerat: his erat conjunctus post regem & proceres, equitum cataphractorum pulcherrimus globus, 1000. vel paulo amplius cataphractus continens. nam alii hujus generis equites per primum agmen sparsi erant. In medio hujus globi erat vexillum regis, quod Joannes Dragffii judex curiæ, quæ tertia est inter seculares à rege dignitas, sustinebat. Hanc statariam aciem cingebant undique equites levis armaturæ, & pedites quoque à lateribus, quod superius diximus. In latere ejus dextro, post antistites & secretarios, erant illi tres, quibus tutelam regii corporis commissam fuisse diximus. Locus, ubi acies fuit instructa, recesserat à Mohaczio milliario uno, à Danubio præterfluente milliario medio. Erat, quod & superius dictum est, in eo loco ingens & lata planities, nullis neque sylvis, neque virgultis, neque aquis, neque collibus impedita, nisi quod ad lævam, inter eum locum & Danubium, erat aqua palustris & limosa, crebra arundine caricibusque plena, ubi postea multi mortales perierunt.

D 4

Con.

Contra nos collis erat in longum protensus, in theatri quodammodo formam, ultra quem Cæsar Turcarum castra habebat. in collis imo descensu, pagus modicus cum templo, Feuldvyar ei pago est nomen. Ibi fuerunt positæ machinæ hostiles. eum locum oculis nos postea, circa extremum certaminis tempus, conspeximus, hostibus fuisse oppletum, maxime Janiczaris, quos vocant, qui quicquid erat ultra illius pagi casulas, omnia longo ordine occupabant: inter quos fuisse Cæsarem, postea fuit cognitum. Tormenta ita erant ibi posita, quasi in quadam valle: propter quod nostris longe minus, quàm si in plano fuissent, nocere potuerunt, & plus terroris, quàm damni intulerunt. Acie in hoc quem diximus locò, eo quem diximus modo & die, paulo post solis ortum extracta, (erat autem dies clara, & multum serena) Palatinus regem ex eo loco, quem ei designatum fuisse diximus, eductum, quod & triduo ante fecerat, per univèrsum exercitum circumducit: ibi eum præsentem, de quo aliqui dubitaverant, omnibus manu ostentans,

tans, paratum dicebat omnia extrema & mortem etiam subire pro patria, pro sacra Christi Dei Opt. Max. religione, pro conjugibus & liberis eorum. Agerent itaque ipsi quoque viri fortissimi, Hungaros se esse meminissent: & eos qui & ipsi sæpe, & eorum olim majores inclyti illi heroës, & fortissimi Christianæ Reip. propugnatores, tot clara trophæa, ex eodem illo, cum quo pugnaturi essent hoste, retulissent. Nec esse quod hostium multitudine deterreantur: non enim in multitudine, sed in robore militum sitam esse victoriam. Deum etiam ipsum ex alto, pro sua sancta religione pugnaturis affuturum: in manu ipsorum positam esse dicebat, non patriæ solum, quam hostis occupare venisset, sed totius Christianæ Reipubl. Salutem. Hæc & alia talia cum Palatinus, & simul etiam rex, omnibus ordinibus obequitatis, commemorassent: rex locum & ordinem suum repetivit. Consumpsimus postea majorem diei partem in expectando hoste: qui se ita haud multis, qui levia cum nostris certamina ac belli præludia exercebant, præmissis, adhuc post

colles illic continebat, dubium nostrosne, ut ad illas locorum angustias pertraheret, an ut pugna in sequentem diem dilata, nos ea nocte in castris ex improviso aggressos opprimeret, quod pro ea militum & tormentorum copia, qua abundat, non erat ei difficile factu: vel ut potius nos longa proelii expectatione fatigaret. Quicquid in hoc hostis fuerat secutus, non mihi de hoc est compertum. Tenuit certe nos tota fere illa dies suspensos. Sic suspensis, & expectantibus apparuit, jam sole in vesperam inclinante, agmen hostium per vallem, quæ nobis ad dextram subjecta collibus erat, tacite incedens, sola hastarum summitate illud prodente. Monachus igitur, ratus id quod erat, illos vel ad castra nostra diripienda, vel ut nos circumvenirent, tendere, de prima acie ad regem advolans, jubet Casparum Rasskay cum duobus aliis, quos ad custodiam regii corporis deputatos fuisse diximus, ire exploratum, quidnam illi molirentur, & ut eos si posset, ab incepto itinere avertant. Ille non immemor, quid ei ante fuerat de regis custodia

dia mandatum, recusata, quantum honeste potuit, provincia, demum cum & Monachum instare videret, & regem Monachi imperio non contradicere: ne quod non sine magna causa faciebat, id in ignaviam vel timiditatem ei verteretur; subdit equo calcaria, & illuc, quo mittebatur, cum sociis, & tota equitum, qui eis parebant, cohorte festinabat, ea etiam spe, (quod non videbatur ullo modo dubitandum) illum ad tempus, quo regi ejus opera esset necessaria, inde facile reverti posse. At his eò, quò diximus, profectis, adhuc incertum erat, utrum hostis facturus esset eo die pugnandi potestatem: & erat post meridiem hora fere tertia. Nec deerant ex primoribus, qui tam longam expectationem pertæsi, signa receptui canenda, & in castra redeundum censerent. Quod cum Monachus sensisset, repente ad regem cum collega advolat, pugnam nullo modo differendam esse monet: minus esse periculi nunc, cum parte copiarum hostilium, quam in posterum diem, cum toto exercitu congredi: non esse de victoria dubitandum. Ad quam vocem

cem rex statim signa canere jubet: & simul cum tubarum clangore, & tympanorum sonitu exoritur clamor, vel cantus potius nostrorum, Jesu Salvatoris nomen invocantium de more. & eodem tempore, vidimus ingentem copiarum hostilium vim de colle illo, qui nobis oppositus erat, sese sensim demittentium, ubi Cæsar Turcarum etiam erat. Tum demum regis capiti galea est imposita, quo tempore magnus in ejus ore pallor apparuit, quasi futuri mali præsciis. Signo belli dato, viriliter cum hoste concurrere hi, qui in prima acie erant: bombardæ quoque nostræ omnes emissæ fuerunt: parvo tamen hostium damno fit certamen, multo acrius quàm pro numero militum nostrorum: plures ex hostibus, quàm ex nostris cadunt: donec nostris fortissime pugnantibus, hostis cedere, sive nostrorum impressione coactus, seu ut nos ad tormentorum loca pertraheret, coepit. Et repente advolat ad regem Andreas Bathorii, hostes terga dare, victoriâ esse nostram, promovendum esse gradum, & nostros hostem fugientem persequentes adjuvandos.

dos. Properamus igitur per æqua & iniqua: verum, ubi ad eum locum ventum est, in quo paulo ante fuerat certatum: ibi vero multa nostrorum, plura hostium cadavera per campos jacentia vidisses, & quosdam semivivos, & adhuc spirantes: interim nostris hosti instantibus, & fortiter cum eo pugnantibus, agmine regio eodem, quantum à cataphracto milite properari poterat, properante: inclinari cornu dextrum coepit, & plerique ex eo cornu fugam capessere, tormentis (credo) quæ hostis tunc primum jaculari coeperat, exterriti. quæ res, & globorum jam nostris etiam, qui penes regem eramus, capitibus supervolantium, crebri jactus, non parum terroris omnibus incusserunt: & eo ipso tempore rex in ordine nostro non comparuit sive priores illos ordines, quos ante ipsum diximus fuisse, progressus, (quod antea ita erat statutum, ne rex in eodem loco staret) sive sublatus ex acie ab his, quos ei post tergum fuisse diximus. nam utrumque fieri potuit. Nec desunt, qui dicunt, eum priores sui agminis ordines transgressum, usque ad principia processisse, atque

atque illic viriliter cum hoste pugnasse, quod ego neque affirmare ausim, neque aperte inficiari. Illud mihi certo constat, eum tunc à nostro ordine, & à suo loco abfuisse, quando tormenta hostilia tonare cœperunt, & quando ex cornu dextro fuga fieri cœpit. Secundum ex eodem ordine, pene eodem tempore, quo regem, sensimus abfuisse episcopum Strigoniensem, & nonnullos alios regi propinquos. Ego regis amissi culpam neque in eos ausim conferre, qui ei custodes fuerunt adhibiti: neque in eos, qui eum fortasse intempestive ex acie subdlexerunt, sed infelici cuidam nostro fato: ut rege etiam amisso, non solum pateremur ea, quæ ab externo hoste passus sumus, sed domesticis etiam dissidiis, & factionibus ob alium regem in locum demortui substituendum agitaremur: nostris flagitiis, his etiam graviora merentibus. Illos enim utrosque scimus regi fidissimos fuisse, & regiæ salutis studiosissimos. Nam quod ad tres illos attinet, ad custodiam regii corporis deputatos, constat eos ab hoste, ad quem reprimendum missi fuerant, non prius redire

dire potuisse, quam fuerit tota acies nostra in fugam conversa, capto etiam uno ex eis, & eodem in loco liberato. Quò molestiore animo ferendum censeo, quod ausus sit quidam, oratione de hoc publicata, (si oratio illa vocari debet) nostros sui regis desertores falso vocare. An deseruisse regem sint censendi, qui omnia illi officia bonorum ac fidelissimorum subditorum præbuerunt, qui omnes ferè in eodem, in quo rex jacuit, campo jacuerunt, testati morte etiam, quam fidi suo regi, quam amantes patriæ fuerint? Sed idem ille egregius historiarum scriptor, qui hæc scribit, & qui tot convitia in gentem nostram ingerit, hujus etiam cladis historiam ita scripsit, ut me pudeat eum ita impudenter rem sibi ignotam in vulgus prodere fuisse autum. Sed nos ad institutum redeamus. Regis exercitu perea, quæ diximus, vehementer turbato, & ad fugam spectante: diu tamen etiam postea est pugnatum, jam non in latiore illa pianicie, sed ante ipsa tormenta: quæ nobis adèò erant propinqua, ut non fuerint à nobis decem passibus remota: donec non solum terrore,

rore, sed & fumo tormentorum omnia replente, ac visum etiam prohibente, coacta fuit magna exercitus pars in vallem, quæ aquis illis palustribus juncta erat, descendere, reliquis adhuc ante tormenta viriliter pugnantibus. Cæterum cum hi quoque, qui se in vallem receperant, rursus in pugnam instaurandam rediissent, neque jam ulterius vis tormentorum & fumi sustineri posse ullo modo videretur: magna exercitus parte in fugam dilapsa ipsi etiam sunt fugere coacti. Fugam igitur adunum omnes, quæ cuique proximum erat capessunt, ac per ea potissimum loca, per quæ paulò ante ovantes, & spe victoriæ pleni veneramus, & per castrorum loca, quæ fuerant antea ita per hostes direpta & disiecta, ut vestigia tantum eorum superessent, & plena essent omnia eorum, qui in castris remanserant, cadaveribus. Hostes visa nostrorum fuga, vel fraudem subesse rati, vel pugna fatigati, diu se intra aciem suam continuerunt: & nisi tenebris noctis insequentis sese intendentibus, nequaquam nostros sunt insecuti. Quæ res, & quod nox paulo post cum imbribus

bus effusissimis est subsequuta, multis mortalibus saluti fuit. Duravit certamen iustum per unam fere, & mediam horam, suntque non pauci & illa palustri voragine absumpti. Nam regis corpus, quem & ipsum ibi periisse nonnulli dicebant, fuit postea repertum in hiatu quodam prærupto, supra Mohacium, milliario medio sub pago, quem Czeliæ vocamus: qui locus tunc Danubii inundatione aquam solito majorem habebat: ibi simul cum equo ita, uteratur armatus, ab aquis fuit suffocatus: quo in loco plures etiam alii perierunt, atque ab eo loco non procul repertum est corpus Andreæ Trepka, & Stephani Azel. Monachus in prima acie fertur cecidisse, fortiter pugnans. ejus caput à trunco abscissum, postero die per castra hostium, loco triumphii fuit circumlatum, longæ hastæ affixum: quod postea ante tabernaculum Cæsaris stetitisse ajunt. Eo die, qui pugnam est insequutus, mille & quingenti ex his capti fuerant, & inter hos magna primorum nobilium in coronam positi, coram exercitu victore capite sunt truncati, Cæsare sanguinem illorum

E liban-

libante diis suis. pauci ex captivis servati: ut essent, à quibus Cæsar, & Hibrhim Bassa ea, quæ opus erant, possent sciscitari. Inter hos Nicolaus cognomine Hertzek, quod lingua nostra ducem significat, dux revera, & Thesaurarius regius existimatus: item Joannes Pileczkii, & Joannes Maczicijovskii, Poloni, omnes cubiculi regii ministri, à quibus postea ad reginam reversis multa cognovimus: quæ brevitatis historica commemorare nunc non permittit. Servatus fuit & Michaël Fekethe, & Bartholomæus Maytinii, qui postea magno ære fuerunt inde redempti. Perierunt in eo prælio, & in fuga, præter regem, ex antistitibus Ladislaus Zalkanus archiepiscopus Strigoniensis, Paulus Thomori Colocensis dux belli, Franciscus de Peren Varadiensis, Philippus More Quinqueecclesiensis, Blasius Paxii Jauriensis, Franciscus Chaholii Chanadiensis, Georgius de Paliina Boznensis episcopus. Ex baronibus, Georgius de Zapolia, comes Scepusiensis, alter belli dux: Joannes Dragffii, iudex curiæ: Franciscus Orzag cubiculariorum, Petrus Corlathkvvii, &

An-

Andreas Trepka janitorum, Simon Horvvath pincernarum regalium magistri: Thomas Zechii, Gabriel Perinni, Ambrosius Zarkan, Antonius Paloczii, Matthias Czethini, comes de Frangepanibus, Sigismundus Banffii, Franciscus Hampo, Joannes de Batian, Stephanus Slyk Bohemus, & nonnulli alii Bohemi & Moravi. Ex nobilioribus & potioribus regni, Franciscus Balaszy, Nicolaus Tharzay, Joannes Paxy, Joannes Istvvantffii, Emericus Warday, Michaël Podmaniczki, Georgius Orlovvchicz, capitaneus Segniensis, Stephanus Azel castellanus Posoniensis, Sigismundus Pogan, Joannes Tornaly, Joannes & Stephanus Kalnay, Nicolaus Forgack. Præter hos, nobiles potiores usque ad quingentos. Quin tum præter tria, vel quatuor millia peditum, paucissimi evaserunt. fuerunt autem usque ad duodecim, vel tredecim millia peditum: ex quorum ducibus vix evasit quisquam alius, præter Hannibalem Cyprium. Tormentabellica omnia, & illa, quæ in acie fuerunt, & ea quæ partim in castris, partim in nayibus remanserunt, habuit hostis.

E 2

Ho-

Horum cura demandata fuerat, sed se-
 rò, & non, nisi eadem illa nocte, quæ
 pugnam præcessit, comiti Joanni Har-
 dek, viro strenuo, & industrio, & qui cir-
 ca regem ab initio fuerat diligentissime
 versatus, regi inter paucos charus. No-
 cte & die quæ pugnam insequuta est, ho-
 stes in omnes partes propinquas cursu
 effusi, obvia quæque vastaverunt, & com-
 bufferunt, nulli mortalium parcentes,
 non sexui, non ætati, non religioni,
 omnia foeda & crudelia in miseram gen-
 tem exercentes. Neque est mearum vi-
 rium, cladem illius noctis, & sequen-
 tium dierum deplorare: quæ tanta fuit
 per omnem illam Hungariæ citerioris
 partem, ut non possim mihi persuadere,
 ab ullo unquam hoste crudelius esse sæ-
 vitum. Illud inter alia contigit, nun-
 quam fortasse antea auditum, quod in-
 fantuli vivi, ne vagitu proderentur, fue-
 runt ab infelicissimis matribus in terram
 defossi, ibidem aëre terra intercluso, ma-
 tribus inde aufugientibus, misere suffo-
 cati. Processit hostis usque ad Balato-
 nem lacum, Quinqueecclesiensi civitate
 insigni combusta: cujus tamen arx, &
 nobi-

nobilissimum templum, quod in arce
 est, remansit intactum. Dum hæc age-
 rentur, jam Vayvoda circa Zegeginum
 erat, cum copiis Transsylvanis: quæ
 cum ita citò subsequi non possent, ipse
 conscensis levibus rhedis, cum paucis
 ad regem properabat: ut vel solus præ-
 lio, quod intellexerat minime dilatum
 iri, interesset. Comes Christophorus
 Zagrabiam pervenerat: Boëmorum ali-
 qua pars, eorum qui in auxilium regi ve-
 niebant, partim non longè ab Alba Re-
 gali, partim circa Jaurinum erat, & circa
 eadem loca Georgius Marchio Branden-
 burgensis, & Cancellarius Boëmiæ A-
 dam de Nova domo. Regina hac clade
 audita, cum episcopo Vesprinense, &
 Alexio Thurzone, & Oratore pontifi-
 cio, incerta adhuc de regis interitu, tre-
 pide Posonium confugit, rerum suarum
 magna parte per Danubium subvecta: in
 quibus, & in his, quæ civium Budensium
 erant, licet Andreas Orbancz, qui arci
 Strigoniensi præerat, nonnulla damna
 fecerit, tamen in huius rei commemo-
 ratione longe à veritate recessit ille, qui
 militibus nostris levis armaturæ, quos

vero nomine Hussariones appellant, eam impingit culpam, quod puellas reginales inhonestius habuerint, & in earum soleis per ludibrium saltaverint. Cæsar paucis diebus circa ea loca, ubi prælium fuit, commoratus, omnibus deinde, quos prædatum dimiserat, ad se revocatis, inde Budam versus movit: ad quam sextis aut septimis castris ripam Danubii legens cum pervenisset, oppidis & villis obviis omnibus exustis, eam sine omni præsidio relictam reperit, & combussit, arce sola cum stabulo regio ac vivario ferarum relicta. Inde dimissis in omnes Hungariæ citerioris partes prædatoribus, quicquid inter Danubium & lacum Balatonem jacet, usque ad Jaurinum, omnia ferro & flamma vastavit. Strigonii tamen arx, per eum, quem superius nominavimus, Andream Orbancz deserta, per hominem humillimæ sortis, & qui paulo ante peditem illius capituli ductor erat, Matthæum cognomento Nagh, qui illuc cum paucis confugerat: & arx Wissegradii, coronæ regiæ conservatorium, per rusticos & monachos fuerunt servatæ. Tantus terror invaserat animos nostrorum, audito Cæsaris Budam adventu:

tu: quæ quidem arces, & cum his Thata & Comarum, atque etiam Alba Regalis, propterea etiam ab hoste non fuerunt captæ, quod is, nescimus quo consilio, regnum vastare tantum contentus, de arcium & locorum munitiorum expugnatione nihil habuit pensi. Nusquam est hosti sic in Hungariam sævienti magis repugnatum, quam in loco, cui Marotho est nomen, non procul à Strigonio. Secessus est archiepiscopi Strigonienfis, non inamœnus, inter eas sylvas, quas nos Wiertesias appellamus, sylvis & nemore undique cinctus. Huc se aliquot millia nostrorum receperant, cum conjugibus & liberis, angustiis freti. Cum his hosti fuit non semel acerrimum certamen, magna hostium strage. Postremo, cum nullo modo castra nostrorum, quæ curribus circumduxerant, expugnari ab hoste possent, coactus est hostis tormenta quoque bellica illac adducere, & ita demum & castra disiecta, & omnes ferè ad unum cæsi fuerunt: ingentes cadaverum cumuli, qui nunc quoque eo in loco visuntur, facile magnitudinem cædis declarant: fuere autem, ut hi, qui pauci inde effugerunt, referunt, usque ad

25000. nostrorum. Omnium vero ubique tam caesorum, quam captorum numerum in unam summam colligendo, affirmare ausim, ex his quae cognoscere potui, periisse hac clade, prope 200000. hominum. Citeriore Hungaria in hunc, quem diximus, modum, a Dravi ostio ad Jaurinum usque vexata, terrore non modico etiam his, qui procul erant, & Viennensibus quoque injecto, ponte super Danubio ad Pesthum facto, decimo quarto quum Budam venerat die, Caesar in Hungariam ulteriorem transiit: dimissis inde quoque ad omnes partes, quae inter Danubium & Tibiscum sunt, qui omnia similiter vastarent, & comburerent, sicut in citeriore Hungaria fecerat: multitudinem omnem, quae Tibiscum non transierat, partim gladio interimit, partim in servitutem rapit. Ipse satis jam in miseram Hungariam debacchatus, domesticis, quae interim in Asia minore (quam Natholiam vocant) exorta fuerunt, dissidiis eum revocantibus, omnibus, quae intra Dravum & Danubium occupaverat, locis, atque ipsa etiam arce, & civitate Budensi sine ullo praesidio relictis, domum est reversus.

JOH.



JOH. CASP. KHUNII
COMMENTATIO
IN
DESCRIPTIONEM
BRODERICI.

PROOEMIUM.

De genere scripti & auctore.

PARTITIO.



PROELIORUM Descriptiones uti haud dubie pulcherrimam historici operis partem faciunt, ita vix alibi prior est ad lapsum via. Nam cum res ipsa tanto tumultu geratur, ut dilucidam singulorum expositionem

E 5

nem

nem expectare vix ab illis etiam, qui interfuere, possis; quid certi speres ab Historico, longis interdum inde non gentium modo terrarumque, sed annorum etiam intervallis remoto, præsertim si fide dignis monumentis destituatur? Ita ex veteribus *Curtium* hic indiligenter versatum notavit *Freinshemius*, quod tamen facile condonaveris rem tot ante seculis gestam repetenti. Sed qui *Ludoviciana cladis* historiam superiori seculo vel justis operibus inseruere, vel peculiari labore tractandam suscipere, dum obviis quibusque narrationibus credunt, aut causæ serviunt partiumvè studiis trahuntur, multum in negotio tam nobili recentique peccaverunt. Unde nemini mirum esse potest, in explanando hoc argumento electum potissimum *Brodericum* cujus vestigia premeremus; si quis tum ipsius scripti indolem contextumque, tum scriptoris hac in parte multum cæteris prævalituram auctoritatem perpendet. Neque enim intra vulgaris narrationis modum consistit opéra ejus; (quales tamen plerorumque in hoc genere labores) sed præter

præter luculentam ipsius prælii descriptionem, Hungariæque designationem Geographicam, altius præterea temporum illorum statum repetit, & personas, hujus tragœdiæ præcipuas characteribus suis notat; ut inde ad causas infelicis exitus indagandas lector ipse viam inveniat, quas tamen subinde clarius ipse quoque exprimit: ut adeo parem *Brodericiana* curæ laborem in hoc genere inveniri vix credam, magnopere vero posteritatis bono optandum censeam, ut dignos inveniat *Brodericus* imitatores, qui historiam scripturis, tantæ fidei diligentiaque monumentis viam securam præeant. Nam si præterea eas, quibus historici commendantur, dotes atque momenta perpendamus, ea omnia in auctore nostro tanta fuisse inveniemus, ut credibile non sit ab alio feliciter huic labori manum potuisse admoveri. Erat enim *Brodericus* (quem etiam *Broderithum* vocant) natione Hungarus, summis in eo regno dignitatibus & ad Pontificem Romanum illustri legatione functus, adeoque publicorum regni negotiorum peritissimus, sed in hac inprimis

expeditione regi perpetuus comes; ut nullum vel de prudentia ejus in univ-
 sum, vel de facultate totam hanc rem,
 ut gesta est, veraci, prudenti, disertoque
 stylo exponendi, dubium supersit. Jam
 vero, quantus in regem suum patriamq;
 amor, quanta fides, quantus animi can-
 dor & moderatio, in toto argumenti
 contextu elucet? Nullum in tam recen-
 ti calamitate acerbius in hostem ver-
 bum; sed oratio, quam vel Solymanus
 patienter legeret: cum tamen in hoc
 negotio etiam calumniis non tempera-
 verint, ad quos ex hac clade non nisi
 commiseratio alieni mali, aut ex futuro
 metus pertinebat. Præterea & hoc fi-
 dem *Broderici* commendat, quod in to-
 ta hujus narrationis serie nullum indi-
 cium appareat, cujus ille postea in gra-
 vi de regno discepratione partes secutus
 sit, *Johannis* an *Ferdinandi*? nisi quod
 de priore dicat, illum paulo post regnum
 esse assecutum. Cum tamen in cæteris
 ejus temporis scriptoribus ira aut stu-
 dium usque ad convitia & assentationes
 sese prodar. Sed *Jovius Hist. l. 28.* rem
 planam facit. *Atq; ita, inquit, Johan-*
 nes

nes rite coronatus consecratusq; est de ma-
nu Pauli Antistitis, qui in locum Ladislai
Salcani Strigonii Antistes fuerat susceptus,
& Stephani Brodarici presulis Vaciensis.
quem propter eruditi ingenii vim, & dex-
teritatem in omni rerum actione singularem,
epistolarum Scriniq; regii magistrum effecit.
 Fuerit ergo *Brodericus* *Johannis* etiam
 Cancellarius. quod munus jam ante,
 apud *Ludovicum* obierat, simul cum Epi-
 scopatu *Vaciensi*, ut habet *Jovius*. cujus
 elogio noster non vulgariter commen-
 datur. Ad cujus scriptum jam expla-
 nandum promovendus est gradus. Par-
 tiemur autem tractationem omnem in
 tres partes. Prima complectetur ea, quæ
 proelium antecessere: ubi status rerum,
 cum caractere personarum, actus item
 & consilia bellica partis utriusque &
 quæ alia auctor ipse præmittit. In par-
 te secunda, occurret ipse conflictus.
 Tertia pars ea, quæ consecuta sunt, ex-
 pendet. Appendicis loco accedet dis-
 quisitio de causa rei male gestæ, & pa-
 rallelismus sive comparatio cum præ-
 lio, quo nuper circa eadem loca exercitus
Christianus cum *Turcis* felicissime pu-
 gnavit.

Status rerum.

ERat autem, quo tempore expeditionem hanc in Hungariam Solymannus suscepit, ea rerum per Europam Christianam facies, qualem quotidianis precibus Turcæ flagitare dicuntur à *Tuberone. l. 8.* qualem acerbissime deploraverunt, quotquot orationibus publicis Christianos Principes ad mutuam concordiam & convertenda in communem hostem arma cohortati sunt: qualem denique Principum nostrorum nemo ignorabat, nemo non publice detestabatur. Sed dum pro se quisque innocens haberi cupit, & in alterum confert culpam, à singulis neglectum est, quod ab omnibus reprehendebatur. *Tubero* breviter expressit l. c. *Nemo, inquit, Christianorum Principum, ne ipse quidem Rom. Pont. quicquam salutare in medium consulit. Quisq; regum deserto publico bono, suis rationibus servit. Inde cavendis atq; struendis invicem insidiis per metum suspicionemq; teritur tempus. Ita consilia tum erant; neque aliter factum. Digladiantibus in-*
ter

rer se Christianis commune periculum negligebatur. Thuan. l. 1. Et quanquam interea convocarentur Comititia, urgerentur Concilia, gnarus tamen Turcarum Imperator parum sibi à tam lentis & in tanta animorum dissensione dignum effectum non assēcuturis consiliis metuendum esse, multum ridebat istos conatus, addito etiam mordaci, sed nimis vero acumine. *Consulant Christiani, consulant, & ego faciam.* quam Selymi patris vocem (referente Erasmo Vitellio Polon. regis Legato in Oratione Comititiis August. 1518. habita.) filius Solymannus opere ipso executus est. Sed hæc clarius patebunt, quando distinctius publicæ rei statum tum in iis regnis, quorum hoc proprium negotium fuit; tum illis, unde afflicta Hungaria præsidium expectare potuisset aut debuisset, contemplabimur.

In Hungaria.

ITaque, ut rem paulo altius repetamus, unde primæ hujus cladis causæ, sumtis paulatim incrementis eo tandem invaluere, ut florentissimum regnum per-

dide-

diderint; Mortuo Matthia Corvino, rege militari præsertim laude clarissimo, Hungari proceres, qui se ab ipso durius habitos querebantur, de rege sibi circumspiciendum rati, qui in ipsorum potestate esset, in electionem tandem Uladislai Bohemiæ regis consensere, quod esset inertissimus, Alberto fratre ejus, ob imperiosius ingenium rejecto; multum adjuvante Beatrice Matthiæ vidua, cui spem fecerant regii matrimonii, ut ita pecuniis illam emungerent. Ita Rex, quem *Ubero*, etiam cum mitius loquitur, socordem, alii quietis studiosum vocant, hæcenus tamen caute rempublicam administravit, quod sibi pacem cum Turca quantum fieri posset conservandam censeret. Verum hac ratione duplex regno suo malum invexit, quod tandem vitalia ejus exedit. Nam quanquam Matthia mortuo insitam ferociam non amisere Hungari, jacente tamen militari disciplina, cum duces quoque cum Matthia vincere assueti poscente fatali rerum ordine, vita excederent; nil nisi incondita multitudo pro invicto ante exercitu tandem supererat.

Et

Et hi tamen indignati, non dari sibi sub imbelli rege ostendendæ virtutis occasionem, odio illum & contemptui habere ceperant, & jam non occulte *Vacam* appellabant. Quin & sub regni initia, cum spectata Matthiæ regis effigie, regem illum laudibus eveheret Uladislai, Laurentius Dux Hungarico sermone subjecisse fertur: Matthiam fuisse Marcum, non Lucam, leonem scilicet fortem non ignavum bovem. *Ubero passim. Sambucus in appendice ad Bonfinium.* Sed Proceres præcipue, quos Barones regni vocant, indulgentia regis abusi, sprete ejus autoritate, non ipsi solum prout cuique libitum erat, vivebant, sed & regni negotia ad se trahebant; utque eo securius regi moderarentur, cum favere eum Sacerdotum ordini intelligerent, (quorum tamen perniciosam reipublice avaritiam & præ cæteris Thomæ Cardinalis non semel arguit *Ubero*) excludere hos ab omni publicæ rei cura, lege lata contendebant; ne regno ab externis hostibus quieto, intestina dissidia deessent. Inde à curis bellicis vacui in summum effundebantur luxum. cui

F

cum

cum domestici sumptus non sufficerent, injectis in publicos reditus manibus regem insuper importunis flagitationibus ad largitiones assiduas assuefactum eo inopiæ adduxerunt, ut *Dubravio* teste l. 32. nonnunquam *nihil in penu esculenti, nihil in cella vini reperiret, cogereturg, aliunde sibi prandium emendicare.* Refert idem *Dubravius*, indulgentissimum regem Hungaris quidem ad ipsorum postulata voce Latina, quod linguæ eorum ignarus esset, respondisse *Bene*, Bojemis vero vernaculo ipsorum verbo, *Dobre*, quod idem significat; *cum utriq, illi compendio suo studentes sibi quidem bene, caterum regi male consulerent*; & insuper in gratiam tantæ indulgentiæ regem suum *mutum idolum* appellarent, quod aliud *proloqui nesciret, vel nollet, nisi bene aut dobre.* Regina tamen, Ludovici matre, Gallici sanguinis, incolumi, constitit *Uladislao* autoritas sua. Sed illa postea ex ipso partus nixu, quo Ludovicus in lucem editus est, fato concessit; *quoniam non ita ut debuit procurari ab obstetricibus potuit, arbitro presente*: quem ipsa quidem interesse huic negotio voluerat,

luerat, cum intellexisset suspectam se haberi, ne puerum supponeret, ab iis, qui regni spem, si absque liberis masculis saltem, decessisset rex, jam dudum devoraverant. Tum vero rex *ad priorem fortunam redactus est, in qua ab aliis, prout illis aut expediret aut liberet, regeratur.* *Dubrav. l. c.* Defuncto denique *Uladislao*, Ludovicus filius, (quem vivente adhuc patre Hungari post varias contentiones & immensas regis largitiones in cunis regem coronaverant) puerili adhuc ætate successit in regnum factionibus laceratum, luxu perditum, pecunia & perito milite exhaustum, & ubi regis majestatem contemni, tantum non publica consuetudo erat. Præbebat his rei publicæ vitiis crescendi materiam ipsa Ludovici ætas. Quæ cum administrationi regni & quidem talis quale descripsimus, utique impar esset, procerum aliqui, in occasionem augendæ dignitatis intenti, dandum regi pueri gubernatorem clamabant; & obtinissent, nisi Maximilianus Cæsar & Sigismundus Poloniae rex missis ad res Ludovici firmandas Legatis, in eam sententiam

tiam Hungaros adduxissent, ut regimen penes Ludovicum esse sinerent, usq; ad publicum Hungarorum concilium, in eo quod omnium consensu fuerit definitum, id merito ut praevalleat. *Dubrav. l. 33.* Uladislauum enim edito testamento Maximilianum Cæsarem & fratrem Sigismundum Poloniae regem tutores filii constituisse, auctor est *Cuspinianus in vita Maximiliani.* ubi hæc addit: *licet Hungari proximo post regis mortem conventu eosdem acceptassent, Oratoribusq; utriusq; principis tutelam addixissent, semper tamen deinde abnegaverunt; scilicet, quod ipsos timuisse idem censet, ne externi principes in regno Hungariæ autoritatem sibi vindicarent; quam in regnum simul & regem penes se esse magis è re sua arbitrabantur. Cæterum id quoque paterna pietate provide constitutum fuit à Uladislao, quod filio impuberi formatorem ingenii & morum circumspexit. infelici autem successu in parum idoneum incidit: si vera sunt quæ habet *Dubravius l. 33.* qui de Georgio Marchione Brandeburgensi: (nam hunc destinaverat ei parens) *bonus inquit, ille quidem princeps, sed cui convi-**

via,

via, theatraq; & arena, in qua hastis concurritur, ludiq; & chorea magis cordierant, quam seria studia; quæ mox delicia Ludovicum sic prosecuta sunt, ut consultationes de regno graviores vitaret cane pejus & angue. Atque hæc paulo prolixius commemorata, ad vindicandam regis optimi memoriam, quæ à multis, cum horum temporum mentionem faciunt, indignis modis læditur. Apparere enim jam existimo, quicquid calamitatum Hungariam afflixit, non Ludovico tribuendum sed vel præcipuè Hungaris. Ipse quidem certe talis erat, qualis à *Broderico* describitur, & confirmaturus spem illam haud dubie, nisi fata illum regno eripuissent, cum jam se dignum regno vel ultimo hoc cruento specimine ostenderet. Itaque nunc quidem elogio ejus hoc, quod de se *Brodericus* modeste prædicavit, addimus: fuisse Ludovicum *majori ad bene agendum animo, quam facultate.* Quid enim efficeret rex puer & male educatus in regno eo, cui cum florentissimum esset, gubernando propter insitam nationi ferociam vix exercitissimi reges suffecere? quod tamen

F 3

ipse

ipse lethalibus infectum morbis non reddiderat sed invenerat. Cæterum ipso vel nascente vel ad regni gubernacula in ætate tam tenera admoto cuius prudenti facile patere potest, non cessasse illa mala. quin potius cum ipsius ætate quasi adoleverunt; nobilium præcipue luxus, avaritia, & regis authoritatis contemptus. quæ jam usque eo evituerat, ut ex illis, quibus ex pecuniis publicis bene erat, non dubitaverint quidam propalam prædicare, *è republica esse, regem inopia premi: nec debere eum armis & legionibus succinctum esse, si tyrannidem exercere nolit: nobilitatem vero divitiis abundare, ut scilicet commodius militia onera, cum opus fuerit, subire, & operam reipubl. præbere possit.* apud *Tuberon. l. ii.* Atque hæc eo tempore jactata, quo Belgradum idoneo præsidio destitutum, cum huic ipsi præterea stipendium maligne præberetur, paulo post in Turcarum potestatem concessit. quod tanti momenti propugnaculum centum aureis conservari potuisse *Dubravium l. 33.* contendit. Unum præterea impudentissimæ flagitationis exemplum addere libet, quo appareat, quid

quid ejus temporis proceres licere sibi in regem suum existimaverint. Recenset *Dubrav. l. c.* Habuerat præfectus Agriensis vulturem ad aucupium edoctum, quem simul cum aucupe, dari sibi ab eo rex petebat. *Ad hæc præfectus, hac, inquit, conditione dono, ut liber sim à ratione villicationis reddenda. Annuit rex, ut à quadraginta millibus aureum nummum, quæ penes præfectum reliqua erant, liber esset.* Sed claudio hunc de procerum Hungaricorum plerorumque (neque enim omnes intelligi velim) depravata vivendi ratione locum, verbis *Baronis Herbersteinii.* qui cum efficaci stylo, quam ipse tum Legatus Ferdinandi viderat, insolentiam luxumque nobilium descripsisset, subjicit tandem hanc alicujus ex aulicis melioribus prælagam futuri mali vocem: *se nunquam vidisse vel audisse regnum ullum, quod majore atq; Hungaria, gaudio & tripudio periret.* Cæterum de Magnatibus Hungaris quorum hujus expeditionis tempore potior in regno auctoritas aut celebrius in hac clade nomen, aliquid singulatim dicendum est. Sunt autem præcipui: Stephanus

phanus Bathori, regni Palatinus; Johannes de Zapoli, Comes Scepusiensis tunc præfectus Transsylvaniæ; & Paulus Thomory Archiepiscopus Colocensis, summusque in hoc bello regii exercitus Imperator. Et de Stephano quidem Bathorio hoc tantum notasse sufficiet: Sub initium imperii Ludovici Palatinus regni, multum invidentibus procerum aliis, creatus, regi quidem constanti adhæsit fide; post mortem deinde ejus statim Ferdinandi partes secutus est: seu quod jura ejus in regnum potiora crederet; seu quod Johannem ejusdem gentis, huc usque dignitate se inferiorem & perpetuum æmulum, ne dicam inimicum, regem ferre non posset. Johannes vero de Zapoli brevi quidem sed luculento caractere à nostro notatur. Sed quoniam ille præsidia tantum, quibus ad spem regni sublevabatur, tangit, breviter quoque, quid jam vivente adhuc Uladislao usque ad Ludovicum regno admotum, ad implenda ambitiosa consilia vel fecerit vel fecisse credatur, adnotabimus. Is ergo cum insigni de tumultuantibus rusticis victoria potitus nobi-

nobilitatem à cruentis injuriis, regnum ipsum ab imminente exitio vindicasse videretur, altiora animo agitare, & spe sibi afferendæ coronæ regiæ, si Uladislau sine liberis decederet, blandiri cepit. Nec obscure notatur à *Dubravio l. 32.* inter eos, quibus regina, ne puerum sibi supponeret, suspecta dicebatur. Nam id satis constat, quanquam ab initio filiam regi natam, Ludovico majorem, non admodum lubenti animo ferret, postea tamen illum, hoc ipso eventu in spem novam verso, matrimonium puellæ affectasse, frustratumque à Uladislao & proceribus æmulis, cum postea Maximiliani Cæsaris nepoti desponsandam intelligeret, summis viribus id impedire conatum. Inde Ludovico in paterni regni solium collocato, cum jam deservenda tam vana spes videretur, non destitit per familiares suos aut sibi obnoxios contendere; dandum esse regi puero gubernatorem. quo facto se facile cæteris prælatum iri sperabat; ut ea ratione si non titulo regio, potestate tamen certe potiretur. Sed ita quoque elusus, nihil deinceps palam tentavit. regi tamen

semper seu jure, seu inimicorum criminationibus suspectus fuit. De Paulo Thomory nihil opus esset addere; cum is à Broderico ita exhibitus sit legentium oculis, ut non possit luculentius exprimi: nisi plane contrario à plerisque historicis aliis caractere notaretur. qui misero monacho post mortem etiam (quasi id fati à Turcis præstitum non esset) insultant, styloque in eum ut illi ferro, sæviunt. in hunc omnem hujus cladis causam conferunt. ab hoc regium sanguinem & tot millium animas repofcunt. de quo in Appendice plura. Nunc illis solum Brodericum opposuisse sufficeret, nisi propter communem sacerdotii ordinem favere ei plus justo videri posset. Itaque Cuspinianum ei adjungemus, qui in *Oratione ad Principes German.* ubi acerrime aliàs in Hungaros invehitur, summam tamen Thomorio laudem excitatorum præsertim ex ignavia Hungarorum ad defendendam patriam, tribuit.

In Europa reliqua.

Vldimus afflictum Hungariæ statum. Nunc qualis alibi per Europam fuerit

rit, unde Hungariæ spes auxilii poterat esse, consideremus; eo ordine quo ab ipso Broderico quisque commemoratur. Et de Boëmis quidem, Moravis & Slesitis, quorum auxilia regi debita & promissa, dicit auctor, hoc unum notamus, potuisse illa magno usui esse, nisi & his subsidiis intolerabilis Hungarorum arrogantia regem privasset. *Dubravius*, quod dictum est, confirmat l. 33. his verbis. *Hactenus illi (proceres Hungari) consilio (à Thomorio dato) parent, ut Bojemorum, Moravorum, Slesitarum auxilia requirant, sed moderata; adeo immodica in viribus propriis fiducia adsuit; subjungit quod vix credas: Dixit, inquit, me coram prima in Hungaria auctoritatis dignitate, Pontifex hac fere verba Stanislae præsulium meo: Nihil opus est, ut multos nobis subsidio mittatis milites, ceterum famam hanc spargite, tanquam plurimos extrudatis, cujusmodi famam belle subornabitis, si complura vexilla militibus admiscueritis. Ad vexilla enim militum nostratum Turca numerum ineunt. Sequitur judicium Dubravii: A prudente viro parum prudens oratio, sed illam metus ei dictasse videbatur, metuenti, ne si exter-*

uorum auxilio rex victoria potitus esset, aliorum, quam Hungarorum arbitrio deinceps regnaret, neve à nonnullis regni male administrati, rationem victor reposceret.

Pontifices Romani, non tantum cum rogarentur, faciles se ad promittenda Hungaris auxilia præbuere: sed ultro semper Hungariæ reges ad bellum cum Turca, & ne ullam Barbaris pacem aut inducias concederent, hortati sunt. Extant hujus argumenti *epistola à Bembo Leonis X. nomine ad Hungariæ reges & proceres scriptæ.* Sed quid de hujusmodi cohortationibus aut pollicitationibus Sigismundus Poloniæ rex judicaverit, mox subjungemus. Cæterum juvare Hungariam Pontifices tribus potissimum modis poterant: pecuniis; interposita apud Principes Christianos auctoritate aut adhortatione ad ineundam concordiam, & mittenda Hungaris subsidia; aut denique publicato in provinciis Sedi Romanæ obnoxiiis passagio. De duobus quidem prioribus Leo X. liberalissime pollicitus erat in literis ad Episcopum Vespriensensem, *ap. Bembo. l. 11. ep. 27.* & alibi, Passagii autem tentamen-
tum

tum pessime successit. de quo *Tabero l. 10.* Quo, inquit, *Thomas Cardinalis pecuniam, quam Roma absumpserat (in Pontificatus ambitione) in Hungaria resarciret, impetrata à Pontifice Rom. Leone X. legatione Apostolica, re nunquam non quaestuaris & lucrosa, regressus in Pannoniam, cæpit Hungaros hortari, pollicendo peccatorum purgationem, ad expeditionem in Turcas suscipiendam, credens, nec Hungaris id ingratum fore, & nullum inde tumultum aut periculum ortum iri.* Sed quantæ inde in regno turbæ, quantumque cruoris fustum, cum plebs ferox arma in Turcos destinata contra nobiles vertisset, in sequentibus deinde exponit *Tabero.* Et *Dubravius, cruce quidem signatos illos fuisse, ait, sed latronis in sinistra. l. 32. Idem Tabero l. 11. Leonem tot antea promissis liberalem, Legato Ludovici, cum Belgradum à Solymano obsideretur, auxilia petenti, hæc respondisse scribit: Auxilio vos, Hungari, dignos censemus, sed quia nulla in arario pecunia est, qua vobis hoc tempore opitulari possemus, (nam & nos exercitum alere cogimur, in cujus stipendium non modo vim magnam ecclesiasticæ pecunia, sed
etiam*

*etiam mutuo accepta exhausimus) vosmet ipsi vobis nunc consulite. Cum autem status Italia tranquillior fuerit, Hispaniq; ac Galli, quod propediem futurum est, inter se fœdus inierint, cura nobis res Hungarica erit. Inde subjicit Tubero iudicium candidum id quidem, sed carior Romanæ parum sine dubio gratum. Adrianus deinde Leonis successor misso ad Comitata Noribergensia Francisco Cheregato Episcopo Aprutino (cujus oratio typis expressa & Ludovico Hungariæ regi inscripta est) Principes Christianos ad concordiam & auxilia Hungariæ ferenda graviter sane hortatus est; majora etiam, si valuisset iis, quibus antecessores ejus, opibus, aut regnandi arte, præstiturus. Tum vero per Oratorem imbecillitatem suam ita excusavit, ut habent verba Orationis Germanica: *Wiewol er so arm / daß er nicht allein von wegen langwiriger Krieg / damit der Apostolisch Stul wider der Kirchen Tyrannen / stätigs umgeben gewest / sonder auch der vorigen Pâbst übrigen Freyheit und Milte kaum hat / davon er lebe / &c.* *cujus tamen excusationis prior pars & exaggerandi figuram habet & à Tuberone supra**

supra citato, non probaretur; altera cum verior sit, dicendi colore extenuatur. Clemens inde septimus, uti in omnibus negotiis inconstantissimus describitur, ita post magnifica promissa, vix tandem, (ut habet *Jovius Elog. l. 5. in vita Ludovici.*) *Germanorum legionem & Vassarorum equitum aliam, è sacra pecunia ad Pannoniæ præsidium conduxerat; domestico videlicet occupatus bello. Nam Francisco Gallorum rege proelio Paviensi à Cæstarianis capto, cum Italici principes timentes rebus suis, consilia communicarent, ut jacentem Franciscæ fortunam, qua possent, sublevarent, & victorem nimia prosperitate exultantem reprimerent, Clementis animus diu diversas in partes distractus, tandem eo adductus est, ut omni ope sibi enitendum existimaret, quo Cæsaris potentiam in Italia debilitaret. Thuan. l. 1.* Inde fœdus cum Gallis, Anglis, Venetis & aliis; bellumque in Italia totis viribus resumptum. Sed minus prospero fœderatorum successu. Et ipsa de Turcarum irruptione in Hungariam fama, eo die Romam perlata est, quo Mediolanum à Cæstarianis captum; & cum pridie Pontificis exercitus ad Sienam

nam fusus esset. Inde cum indies fœderatorum res decrescerent, ecce nuntius de Ludovici clade perculsum jam Clementis animum penitus prostravit; vel saltem occasionem præbuit, tristitiam ex adversis in Italia successibus conceptam, dolore ob communem rei Christianæ calamitatem tegendi. Nam cum deinde in frequenti Cardinalium confessu orationem habuisset, plenam miseratione tam acerbi casus, doleretque inprimis pios suos in concilianda inter Principes Christianos concordia conatus irritos hæctenus fuisse; subjicit Guicciardinus, qui hæc l. 17. commemorat: *Fu ndita con grande attenzione & etiandio con non minore compassione la proposta del Pontefice, & commendata molto. Ma sarebbe stata anche commendata molto piu, se le parole sue hauessero hauuta tanta fede, quanta in se havevano dignita. per che la maggiore parte de Cardinali interpretava, che havendo prese l'arme contra Cesare nel tempo, che gia per le preparationi palesi de Turchi era imminente & manifesto il pericolo dell' Ungheria, lo commovesse piu la diffidula, nella quale era ridotta la guerra,*

ra, (d'Italia) che il pericolo di quel Reame.

Sequitur ordine Brodericiano Polonia, cui tum moderabatur Sigismundus, Ludovici patruus, insigni prudentia princeps. Is quidem semper expeditionem contra Turcos junctis Christianorum Principum viribus suscipiendam optavit; & cum sub initium regni sui spes ejus rei aliqua facta esset, *non nisi annuas inducias Bajazethi, Solymanni avo petenti dare voluit*: missis etiam aliquoties ad dissidentes Principes & Pontifices legationibus ad tam laudabile piumque institutum eos cohortatus est. Et extat ejus argumenti *oratio* in comitiis Augustanis Anno 1518. habita ab *Erasmo Vitellio Episcopo Plocensi*, cujus & supra mentio facta. Verum cum animadverteret, ceteros principes feralibus odiis inter se digladiari, & nunquam eventurum esse divinaret, ut adversus communem hostem vires conjungerent, semper bellum Turcicum declinavit, & Ludovico, fratris filio sedulo idem suasit; quod judicaret, neq; suum esse, neq; unius plane cujusquam principis, tam validum hostem debellare. Et hac fuit causa, cur apud eum

nihil valeret, Julii II. Leonis X. Adriani VI. & Clementis VII. Pontificum exhortationes; quas Poloni insuper eo consilio factas interpretabantur ut interim Italia alieno periculo quiesceret. Hæc Cromerus in oratione funebri in mortem Sigismundi, & Vapovius in fragmento hinc inde. Non tamen vulgaris erat Turcorum à Sigismundo metus. Itaque cum Solymanus primam in Hungaros expeditionem susciperet, considerandum sibi accuratius duxit, an rex ille fratris filium ab se destitutum esse passurus sit. unde magna vi auri ad Tartarum Polonorum accolam missa, eum ad fines regni Polonici devastandos perpulit: Sigismundumq; proprio bello domi occupatum, Hungaris conjungi prohibuit. Tubero l. II. Isto quoque bello, quo Ludovicus periit, Solymanus idem Sigismundo insensus, quod circa Nanderalba (Belgradi) expugnationem ante quinquennium, auxiliares Polonorum copias (submotis prius ingenti cæde à Polonia Tartaris) Joanne Amor Tarnoviense Comite duce, Ludovico nepoti in auxilium misisset; veritusq; ne eam quoq; expeditionem suam impediret, exercitumq; ut prius in Ungariam mitteret,

teret, Tauricanum Tartarorum Casarem subornavit, ut sub eo tempore, quo ipse Ungariam bello premeret, ipse regnum Poloniae infestis signis invaderet. Quod ita ei successit, ut Sigismundus auxiliares copias, quas in Ungariam mittere destinaverat, ad regni sui limites tuendos in Roxiam & Podoliam mittere fuerit coactus. Vapov. in fragm. Itaque non tam foedus cum Turca pactum, quod habet Brodericus, quam bellum quo ipse à Tartaris distinebatur, à mittendis nepoti sufficientibus auxiliis Sigismundum cohibuit. Quanquam & tum Gnoienskium cum certo equitum peditumque numero in qualecunque subsidium transmisit.

Veneti inde à Bajazethis temporibus pacem cum Turcis coluerant. quæ inter eos his conditionibus sancita fuit: ut Cephalenia retenta, Venetus Baysetho Leucada (S Mauram) redderet: contra Turcus terra mariq; arma à Venetis finibus amoveret, ac Ponticam navigationem tutam negociatoribus prestaret, redderenturq; hinc inde res ablata. Justinian. hist. Venet. l. 10. continuata est illa deinceps cum Selymo & Solymano: tamque exacte observa-

ta à Venetis; ut cum Solymannus Rhodum obsideret, Venetique solliciti ex tanto Turcarum apparatu, Trivisanum cum classe in Cretam misissent, vigili cura omnia circumspicere iustum, nihil tamen hostile in Turcam moverint; cum tamen certum sit, *si vim Trivisanus inferre Barbaro fœderis oblitus voluisset, facile eum cum magna Veneti nominis gloria delere potuisset.* Unde Vincentius Pimpinellus, qui in oratione quadam omnes fere Principes Christianos ob desertam Rhodum accusat, *quum ad Venetorum mentionem venit, accusarem, inquit, etiam vos terra marique potentissimi Veneti, in quorum manu erat victoria, nisi vobis ad æmulationem veterum Romanorum jam pridem animo insitum esset, fidem & jusjurandum non modo amicis, sed & hostibus esse servandum.* Hæc de Venetorum in fœderibus servandis constantia Justinianus l. 12. jactat, quorum tamen non semper eadem apud alios laus est. Sed præterquam quod Venetis hujus belli tempore cum Turca pax erat, ipsi præterea fœdere cum Clemente VII. juncti ad expel-

pellendos Italia Hispanos domi tunc arma expediebant.

Jam vero à Carolo V. Romano Imperatore & Francisco I. Gallia rege, potentissimis tum quidem orbis Christiani Principibus, quid sperare eo tempore Hungaria potuit, quo ipsi totis viribus renovato bello in mutuam perniciem armabantur? Promiserat quidem Franciscus jam Leoni X. (qui epistola ad Episcopum Vespri. supra cit. ejus rei meminit) pecunias se in subsidium belli Turcici liberalissime collaturum. Promiserat auxilia captivus Oratori Hungarico. (qui sine dubio Brodericus noster erat, eo tempore legatione in Italia ad Pontificem functus) promiserat aliis. Et Carolus quoque nuncio accepto de victoria Pavienſi captoque Francisco, exteros oratores, quotquot Madriti erant, scribere principibus suis iussit: *partiturum se cum illis victoria fructum, junctisque armis in hostes barbaros iturum.* Quin etiam in ipsa Madritiani fœderis inter Carolum Franciscumque formula expressum erat: ut junctis precibus apud Pontificem uterque contenderent, quo

convocato Concilio universali, compositisque rebus Christianis, expeditio contra Turcas susciperetur, publicato ad eam rem in triennium sacro passagio. Sed cum Franciscus postea iis conditionibus liberatus esset, quas nec Cancellarius Gattinara nec quisquam prudentiorum Hispanorum servatum iri sperabat; exacerbatis utrinque animis, cum alterum ex gravi captivitate extortisque duris promissis; alterum ex perduto victoriæ fructu dolor irritaret; utrinque ad arma concurritur, & pro passagio sacro, expeditio in Italiam maxime suscipitur, ipsi postea Romæ Pontificique, qui non parum hunc ignem sufflaverat, funesta. *Guicciard. l. 16. §. 17.*

De Germanorum autem auxiliis in universum breviter simul & vere (non tam ipsius gentis, quam formæ, qua gubernatur, vitio) pronunciavit *Jovius epit. l. 23. hist.* quando Solymanum ad expeditionem Hungaricam eo facilius inter alias hac quoque causa permotum scribit: *quod Germani per se segnes, in aliena causa, ut se commoverent, adduci non posse viderentur.* Magno quidem conatu ab
Impe-

Imperatoribus Germanis in publicis comitiis de bello contra Turcas sæpe consultatum est, sed nullo successu; quamdiu Hungaria ad res Germanas nihil pertinere videbatur. Maximilianus, cum in celebri illo, cum Hungariæ Bohemiæ Poloniæque regibus, congressu se purgasset, quod *amulis suis renitentibus, in eum usque diem nunquam ei licuerit contra Turcos progredi,* celebratis inde Augustæ an. 1518. comitiis negotium illud maximo studio resumptum est in manus; adnitentibus etiam exterorum Principum Oratoribus, qui frequentes eodem convenerant. Et hætenus quidem res successit, ut censu per imperium constituto decerneretur, quantum pecuniæ singuli pro facultatibus suis ad bellum Turcicum conferrent. quod vocant *die Türckensteuer.* Sed de conscribendo exercitu, de armis, de com meatibus, de ratione militiæ, tum quidem nihil expeditum; res ad proxima comitia rejecta est. Quamquam & in his ipsis comitiis hoc potissimum Maximiliani propositum, hanc curam fuisse *Cuspinianus in vita ejus ostendat: ut in sua vita Carolum nepotem con-*

sortem imperii faceret. Nihil enim aque curavit, ac ut nepotes potentissimos post se principes relinqueret. Quod sane diesque noctesque meditabatur, ac omnes eo conatus suos tetendit, effecitque ut electores imperii bonam spem illi, futura electionis darent, que suum effectum deinceps sortita est, post Maximiliani obitum. Carolus itaque, de quo jam supra aliquid dictum, Wormatiæ an. 1521. comitia quidem imperii celebravit, sine ulla tamen mentione belli Turcici, quatenus istorum comitorum negotia ex ejus temporis Recess. ut vocant, cognoscuntur, quo tamen ipso anno Belgradum à Solymano captum est. Anno sequenti, Ladislaus de Macedonia, Episcopus tum Sirmiensis, postea Varadinensis, & Ferdinandi partes secutus eidem à consiliis, in comitiis Noribergensibus oratione prolixa (quæ postea publicata ab auctore & Stephano Bathorio atque Johanni de Zapolia inscripta est) Germanorum opem imploravit, atque hoc maxime ab iis contendit, ut Regi Hungariæ copias illas concederent, quas Carolo Cæsari ad petendam Romæ coronam, & recuperanda Italiæ loca, in comi-

comitiis Wormatiensibus destinassent, quasque Cæsar jam in subsidium Hungariæ pollicitus esset; erant autem 4000. equitum & 20000. peditum. Responsum illi est: Die gemeinen Ständ künften sich nicht bedencken/ diesen nächstkünftigen Sommer den Hungern die verlohrene Flecken wieder helffen zu erobern. Destinata tamen ad præsidia locorum Hungariæ 4000. peditum: sed duris profecto conditionibus. Vid. Was auff dem Reichstag zu Nürnberg mit Hungerischer Botschafft gehandelt ist. Et quanquam in illis comitiis postea in majora auxilia præstanda consensissent, quod Recessus imperii an. 1522. docet; tamen nihil opere ipso præstitum est. Inde an. 1524. Noribergæ eodem negotio repetitio, promissa auxiliorum aucta, imò & de communi in Turcas expeditione injecta mentio, sed pari quo ante effectu. vid. Acta comitor. ejus anni. §. Item als auch auff gegenwärtigem Reichstag etc. cum §§. seqq. Sed cum an. 1526. Solymano jam Hungariam ingresso imo Varadino Petri jam occupato, Status imperii Spiræ congregati crebris à Ludovico rege Legationibus &

nuntiis ad ferendum Hungariæ cum ruina luctanti, subsidium urgerentur; tandem decretum est: ut 10000. pedites, jam ante destinati, mitterentur auxilio. Sed hæc quoque res multis involuta difficultatibus in fumum abiit. Cæterum *Camerarius præsertim, in hujus cladis narratione*, qualem ista Spirensis consultatio eventum habuerit, omnium optime exponit; cujus verba adduxisse operæ pretium fuerit. postquam ibi argumentum legationis Hungariæ ad Ferdinandum Caroli Vicarium, & Status imperii retulisset, subjicit: *His & similibus ad conventum allatis, credere quidam, & terreri animis, & censere, quamprimum copias comparandas, que in Pannoniam mitterentur: quidam negotium esse magnum dicere, & deliberandum diutius: Non etiam nulli totam rem eludere, & vanum metum affirmare fingi à Pannonibus: qui cum scirent, neminem facile è Germania ad sese usq; perductum iri, pecunias auferri posse considerent. Erant etiam plerorumq; inter se dubii animi & incerti: neq; quisquam fere alteri admodum fidebat.* (quo pertinet gliscens ex religionis negotio animorum distractio)

Itaq;

Itaque hoc modo actum est, ut legatio decerneretur ad inspiciendum res Pannonicas. De qua legatione ita Acta comitiorum Spirensium seu Recessus imperii ann. 1526. Und damit solch eilend Hülff desto fruchtbarlicher angelegt und getreist werden möge/ so haben wir die wolgebornen / Georgen Graffen zu Wertheim/ Philipsen von Feyllitsch Ritter / und Veit Auerbergern mit Instruction / Credenz und etlichen Artickeln zur Königlichen Würde zu Hungern gefertigt / sich mit ihren Liebden und Königlichen Würden auff Form und Maß zu unterreden/wie solche Knecht zum nützlichsten und fruchtbarlichsten gebraucht werden sollen/2c. dazu wie es allenthalben mit des Türcken Handlung und Fürnehmen/ auch der Gegenwehr der Hungern gestalt; das sollen sie uns Erzh. Herzogen Ferdinanden/ Statthaltern/2c. ais dieser Sachen verordneten Kriegsherrn; dergleichen unserm Herrn und Freund dem Cardinal und Erzbischoffen zu Mainz/ Churfürsten/2c. als dem Erzh. Cansler zu erkennen geben/ deß andere zu berichten. Sed interea perierat Ludovicus.

Ita

In Turcia.

JAM vero per Turciam longe alia rerum facies erat. Successerat in regno florentissimo, recentibus triumphis ornato, maximis per Asiam provinciis aucto, Selymo patri bellica virtute omnem Imperatorum priorum gloriam prætergresso aut certe affecuto filius Solymanus, nulla re patre nisi vitiis inferior. Inde cum gens regibus etiam ferocissimis parere sueta, obsequium quod Selymo ex metu præstiterant, à Solymano non extorqueri terrore sed moderatione animi & clementia provocari cerneret, tanto illum amore non populus solum, sed inprimis victor exercitus complexus est, quanto nullum antea imperatorem. Et profecto in elogium ejus celeberrimi quique etiam Christianorum historici commodavere stylum. præter paucos, qui se functos officio boni civis putant, cum *Solymani vires elevare, nostras jactanter efferre, ejus mores inepte carpere contendunt;* ut loquitur *Jovius Elog. l. 7. in Solymano.* Cæterum laudum ejus cumulum cernere est

est apud *Besold. hist. Constantinop. P. 2. c. 13. n. 17.* qui ex pluribus historicis collegit. suffecerit unum *Thuani* de eo judicium, cujus alias candor, & in laudando temperantia nota est. *Is l. 39. Princeps,* inquit, *fuit, inter suos, pietate, justitia, magnitudine animi, & continentia, ac denique fide insignis: & in quo nihil præter veri DEI notitiam facile desiderares.* addit tamen *Bizarus in rebus Persicis: nisi paternas manus primogeniti sanguine commaculasset.* Id satis constat; animum gloriæ cupidum, præsertim ex iis virtutibus, quibus magni principes maxime commendantur, fortitudine, magnitudine animi, clementia, liberalitate, justitia, peculiarem ejus characterem constituisse. ex hoc fonte omnes actiones suas vel derivavit vel derivasse credi voluit. Ita, ut si non veram harum virtutum gloriam semper obtinuerit, captaverit tamen & captasse præ se tulerit. Nam de fide præsertim servata multi aliter sentiunt; notavitque *Tubero l. 6. fin. de Turcis in universum ista: Sicut, inquit, privatim fidem egregie colunt; ita ubi publica affulsit utilitas, omne jus fasque præ ea contemnunt,*

mittitur, tantum nimirum his inest vel malis artibus imperii augendi studium. Cui gentis instituto, nescio an non aliquando & Solymanus indulserit. Exemplum notat *Leuncl. prafat. hist. Musulm.*

Causa belli & occasio.

Hic igitur Solymanus initio imperii Hungaris foedus pacemque iisdem conditionibus, quibus ante pater ejus, obtulit: *ne Hungari, ipso bellis Asiaticis occupato, incursionibus fines Turcicos vexarent; sive in speciem, quo improvidos ac de bello nihil suspicantes adoriretur.* *Tubero l. 11.* At Magnates qui in procuratione regni erant, Solymanum pavore inducias offerre rati, gloriantesque Turcam ab iis pacem mendicare, spretis salutaribus Sigismundi regis consiliis, qui per Oratores suos oraverat & obtestatus erat, ut quam Turcus ultro offerret, pacem non contemnerent; legatum Solymani contra jus gentium retinent. *Vapor. fragm. Tubero l. 11.* Et *Vapovius* insuper, addita, inquit, stolidi jactantia contumelia, Solymani Imperatoris legatis auribus naribusque per contemptum & ludibrium

brum praecisis & cum ea deformitate domum remisit. quem recentiores historici plerique sequuntur. Sed *Tubero l. c.* à Solymano hæc conficta esse ostendit; qui, quo populares ad bellum ineundum vehementius accenderet, ementitus erat, nulla regii decoris habita ratione, in vulgusque spargi imperaverat, Hungaros sublato gentium jure, legato suo aures & nares praecidisse. Ita cum Hungarorum intolerantia justam Solymano bellandi causam præbisset rejecta pace, & legato inique retento; ipse præterea, quam consulte suscepta in Hungaros expeditione facturus esset, oratione ad purpuratos suos habita exposuit; qua nihil illum malorum, quibus Hungariam tunc afflictam diximus, latuisse ostendit. *Tubero* integram exhibet *l. c.* *Dubravius* præterea belli in Hungaros versi hanc occasionem facit: *l. 33.* *Solymanus*, inquit, bella à Parthis auspicans, nimis adverso & cruento prælio ab illis acceptus est, siquidem amissis plus centum milibus suorum, cum octoginta solum equitibus Constantinopolim rediit, tanto ex hac clade Turcarum odio sibi conflato, ut deiciendum protinus imperio, tanquam insansum

stum maleq; ominatum censerent. At ille ad preces & promissa versus, quod totam Mysiam, Bulgariam, Bosnam, cum ipso Belgrado redacturus brevi in potestatem Turcarum esset, gratiam tandem recuperavit. Similia fidem forte Dubravii secutus affert Sambucus in appendice ad Bonfinium. Sed cum & Turcorum annales & Tubero & Historicorum alii nullam hujus cladis mentionem faciant; & hanc potius in Hungaros expeditionem, cui ipse Solymanus compositis ante per præfectum Syriæ motibus, interfuerit, primam, uno ore fateantur; merito *Dubravium* hic falli credimus, & fumum undecunque acceptum vendere. Decreto itaque jam in Hungaros bello collectisque copiis, callidus Princeps nuptiarum Ludovici cum Maria Austriaca *tempus* expectat, & ira festis diebus occupatis Hungaris Belgrado imminet, quod obsidione cinctum, & summo cum Hungarorum dedecore & damno turpissime traditum, occupat. cujus obsidionis & totius expeditionis, historiam, quæ fere intra hujus & Sabatiæ expugnationem constitit, prolixè descripsit *Tubero l.c.* Quinquen-
nio

nio post, cum exploratum haberet, Ungaros, post amissam Nanderalbam (Belgradum) nihilo factos esse humiliores, nec pacem, quam ultro eis aliquando obtulisset, expetere, imo minas & ultionem spirare, novum in illos bellum, de quo jam nobis sermo est, adornavit. *Vapov. fragment.* Usus prudenter occasione tumultuantium Janitzarorum; qui aliquot Bassarum ædes diripuerant. His itaque sedatis, ut alibi esset, quod agerent, expeditionem hanc, quo se ad eam milites pararent, publicavit. *Lenneclav. hist. Musalm. l. 18. & Annal. Turc.*

Consilia & actus bellici ante pugnam.

POST exposita paulo prolixius ea, quæ à *Broderico*, vel intacta vel obiter indicata majorem lucem requirere videbantur; in cæteris, ubi ille satis copiosus est, nobis jam brevioribus esse licebit. Dispersetur autem observatio in ea, quæ vel diversa aut contraria ab aliis produntur; vel quæ ad supplendum nostrum pertinent. utraque retulisse sufficiet:
H quod

quod priora quidem nihil obstare *Broderico* αὐτόπλη, & tot aliis nominibus præferendo, possint; de posterioribus autem lectori ipsi, iudicium relinquere visum fuerit; cum nec refelli talia statim, nec pro certis admitti tutum appareat.

Et de Turcorum quidem rebus (quod adhuc præmittendum videbatur) & *Brodericus* & alii nostrorum pauca: Turcorum etiam annales, qui ad nos pervenerunt, pauciora habent. Hoc tamen discrepant: quod exercitum Solymani intra 50000. vel 60000. includunt; quem nostri homines mira varietate ad 160000, 200000. vel 300000. extendunt. Conciliari tamen forte possunt; si à Turcis numerus iste de *selectioribus* & bello *aprioribus* accipiatur: qua ratione fere convenierint cum Thomorii calculo apud nostrum; qui 70000. eorum fuisse regi retulit. Nisi potius Turcæ hac copiarum extenuatione ad amplificandam victoriam suam usi sunt: præsertim cum & majorem Hungaris multitudinem tribuere videantur. quod *Leuncl. hist. Musulm. l.18.* ita exprimit. *Rex autem Ungarus & ipse conscriptis militibus suis, qui to-*

to corpore muniti ferro carulei coloris erant, insigni cum apparatu rerum bellicarum Turcis occurrit. Johannes Pecrii certe, diu inter Turcas versatus, tunc transfuga, Ludovico regi de proelii eventu, quid iudicaret, sciscitanti, respondisse fertur: *tantam esse Turcorum multitudinem, ut, si vel manibus in tergum religatis, inermes occurrerent, vix à tam modicis regis copiis integro triduo confici possent.* Refert hæc scriptor nuper editus *Isthuansffio*, ut apparet. quem ipsum quidem *Isthuansffium* jam legere mihi, magno ad hoc argumentum incommodo, non contigit. Id quoque ad Turcica consilia ante pugnam supplenda pertineret, quod habet *Camerarius* in hujus cladis narratione, & *Jovius* aliquot locis: *Balibecum à Solymano cum equitibus ad vastandam Pannoniam præmissum, omisis agris, exercitum regium observasse & à pabulatione & aquatione prohibuisse, &c. qui hac ratione adeo in angustum redactus sit, ut jam ad fluvium nemo auderet accedere, cogenturq; intra castra pureis effossis aquam querere.* Sed tam nobi-

lem, ut vocant, circumstantiam, tantumque ad excusandam proelii tentationem momentum, non omisurus fuisse *Brodericus*, mihi quidem videtur.

De descriptione Hungariæ egregia, quam *Brodericus* huic narrationi, quantum pro instituto satis erat, interferit, hoc quoque unicum præmitto: optandum esse, ut qui tabulas Geographicas concinnant, vel Itineraria aut chorographias publicant, talium archetyporum ductum sequerentur. (qualis etiam labor est, *Petri Ranzani in Epitome rer. Hungar. Index primus*, quo Hungariæ descriptio Brodericiana locupletior, continetur) Sed quam foede interdum, dum obvias quasvis relationes sequimur, erretur; collatis vel cum Brodericiano hoc compendio, quorundam scriptis aut tabulis, patere potest.

Nunc ergo quando ad ea veniendum est, quæ ab aliis diversa aut auctori nostro contraria afferuntur; sunt qui in tota fere rei summa fallunt, fallunturve: ut *Jovius*, *Ortelius*, &c. & præcipue recentiores aliquot compilatores, mire rem totam turbantes, ubi non prætereundus est etiam,

etiam, non recens ille quidem, *Honigerus*, qui in *Aulæ Turcicæ parte secunda*, cum hanc cladem describit, Brodericianæ narrationi ad lubitum interpolatæ, plane contrarias Jovii aliorumque sententias nullo iudicio interferit. Et nescio an *Besoldus* hic non gravius impeggerit, in *hist. Constant.* cujus quidem tota narratio est arena sine calce. Sed præcipua in quibus singulatim ab auctore nostro discedunt alii, (quantum ad res ante proelium) hæc fere sunt: *Jovius*: Thomorium sententiam dixisse in conventu: (quem conventum ipse male *Rhacos* vocat, cum non concilium ipsum, sed locus aliàs ordinarius, campus nempe ad Pesthum ita vocetur. *Tuber. l. 1.*) ut quam primum constigaretur &c. Atqui nec in eo concilio fuisse quidem Thomorium, nec de proelio antequam Mohatzium ventum esset, deliberatum esse, *noster* habet. *Camerarius*: Mariam reginam Posonii à Ludovico relictam, quæ post infaustum cladis nuncium Buda demum discessisse à nostro scribitur. Idem *Camerarius*, cum *Jovio* & plerisque recentioribus in electione Thomorii in ducem exercitus

plane contraria nostro affert: quia strenuum olim egerit militem, etiam ducis opinionem concepisse, eiq. laudi inhiasse: & postea, ne supervenienti Wayvodæ parendum foret, ut imperii jus integrum retineret, præcipitasse pugnam. quos non refellit Brodericus tantum, sed etiam Dubravius. cuius non possum quin huc verba ex l. 33. transcribam. Erant, inquit, qui in contumeliam Jani Trencinii (Johannis Comitis Scepusiensis) Paulum (Thomorii) esse antelatum existimarent, quoniam Janus nimis impotenter se gereret &c. & paulo post: Porro Tomori verissima excusatione usus, cur ducis partes assumere detrectaret, quoniam parere tantum & manu strenue facere, ut miles, didicisset, sed nullas unquam legitimi ducis artes, à quibus salus exercitus pendet, attigisset; cum excusando se nihil promoveret, &c. quanquam Dubravius hæc quidem ante convocatum Hungarorum concilium facta esse scribit; quod ita excusari potest, ut electio Pauli in Archiepiscopum (quam cum altera in ducem conjungit) & designatio in Imperatorem exercitus ante quidem facta sit: ipsa verò delatio imperii cum excusa-

cusatione Pauli tum quidem acciderit, cum jam rex in procinctu esset, & collega ei adderetur Georgius Scepusiensis; qui cum Paulo moribus & voluntate dissensisse à Dubravio scribitur, Dubravius vero hoc ipso etiam à Broderico dissentit. Denique in vaticinio Perennii de martyrum Hungarorum consecratione numerum mire variant. Jovius sibi ipsi in hac re ut & copiarum regis calculo non constat. Sed id præcipue miratus sum, apud Brodericum nostrum & in editione Sambuci, & Reufneri, & Honigeri atque Besoldi compilatione numerum corruptum 2000. retineri; quem propterea in textu & ipse retinui, hic moniturus. Apertum vero est, scribendum esse 20000. hunc enim numerum exercitus tunc impleverat. quod & Caspar Ens in rebus suis Hungaricis, animadvertit. quo Broderici narrationem fere integram transcripsit.

Ad supplendum hac parte Brodericum pauca sunt quæ pertinent. De præfatio imminentis Ludovico mortis, memorabile est quod refert Leuncl. Pandect. hist. Turc. n. 221. spectrum hominis claudi forma, qui regi quædam indicaturus esset,

non admissum, dixisse: *regem, qui se audire nollet, brevi periturum.* Sed fama illa è gynecæo, & post ipsam cladem, ad *Leunclavium* saltem, perlata, nescio an tanti sit, quanti illam ipse facit. Quod de equo regis amisso *Brodericus* habet, *Dubravius l. 33.* ita exponit: *equus sub eo Phrisius, in genua procuberat, in sefforem, sibi non succursum fuisset, devoluturus.* Si modo de eodem uterque casu loquitur. nam *Dubravius* ante portam statim Budæ id contigisse, *Brodericus* in suburbano duobus milliariibus inde remoto, & equum periisse, scribit; de regis periculo nihil meminit. Aliud omissis loco refert idem *Dubr.* l. c. quod *Ludovicus* paulo ante prælium *pregustatori* roganti, ubi nam cænare vellet, in castris, an in vico, responderit: *Deus novit ubi hodie cænabimus.* Quomodo *Varadinum* *Petri* cum aliis locis occupatum, alia frustra tentata fuerint, luculentius aliquantum exponit *Cuspinianus in Oratione cit.* De consilio prohibendi *Dravi* transitu hostis, quod vel maxime regi cordi erat, nobilis est locus *Dubravia l. c.* *Rejēctum deniq;*, inquit, *consilium Ambrosii Sarcani* (in cu-
jus

jus suburbano rex *Buda* egressus diverterat primum) de prohibendo trajectu *Dravi fluminis*, quod haud dubie consultissimum erat, si id exequi illum scivissent. Poscebat non amplius, quam sex millia equitum, illog; numero se impediturum, ne hostis *Dravum* transmittere posset, receperat, reddidit; consilii sui hanc rationem, quod proxime *Dravum* loca restagnarent uliginosa, qua nullum transitum propter voraginem admitterent, nisi una illa via, qua ramis arborum velut pontibus strata esset, sed eam nimis arctam videri, facileq; tueri posse. Cuncti simul ore fremebant, clamantes, à seculo non esse auditum, ut conspectum *Turcarum Hungari* declinaverint. Sed alia etiam ratione tam salubre consilium impeditum esse, apud *Brodericum* videre est.

Prælium ipsum.

IN ipso proelio describendo non mirum est ab aliis toto cælo errari. causas in proœmio ostendimus. Sed hic jam singulatim aliqua expendentur. In die proëlii fallitur *Dubravius* & *Cuspinianus*; (nisi sphalma typographicum est) & alii
H s gra-

gravius, qui non diebus sed mensibus errant. *Camerarius*, & *Dubravius* aciem aliter atque factum est disponunt, & hic frustra ex culpa ficta Hungaris succenset. *Cuspinianus*, *Vapovius* & idem *Camerarius*, maximam à tormentis hostilibus stragem editam esse contra verum contendunt: Sed &, quod maxime indignatur *Brodericus*, *Camerarius*, & *Cuspinianus* Hungaros non tantum ignaviæ in ipso prælio (quod & *Dubravius* facit) sed etiam in regem perfidiæ arguunt. Neque alius est Orator iste nisi *Cuspinianus*, in quem tantopere invehitur *noster*, ob Hungaros ab illo regis sui desertores appellatos. neque opus esse existimo, ut multis id argumentis astruam. Quanquam in ipsa quidem oratione (de qua jure, an oratio appellanda sit dubitat *Brodericus*) vox desertoris non occurrat, sed *male custoditum* à suis regem dicat, ubique tamen in Hungaros satis inclementer declamat, & carmine *Vellii* quod subjunctum est, rex *desertus* vocatur. *Cuspinianus* quidem bonos semper excipit, (modo hæc non sint repetitæ editionis) sed ego tamen, uti Hungaros à culpa regis perditum non

non libero, (de quo postea) ita durum profecto mihi videtur perfidiæ & desertionis crimine gentem infamare, quæ ferocia magis & arrogantia peccavit; malos, si qui fuerunt, & ego excipio. *Casparus Ens* quoque (quod quia auctorem nostrum concernit, addo) in describenda aciei dispositione lapsus est, mutatis *nostri* verbis, & sensu ita depravato. In collocatione enim præsulum in acie, *Jauriensis*, inquit, & *Vaciensis ad levam positi erant. inde Cancellarius: post hunc Nitriensis* &c. quæ apud auctorem nostrum ita leguntur: *Jauriensis & Vaciensis ad levam positi erant. Post Cancellarium* (*Brodericum* nempe, qui ipse idem ille episcopus *Vaciensis* erat) *Nitriensis* &c. Imposuit nempe illi, quod alium episcopum *Vaciensem*, alium *Cancellarium* credebat, atque ita ab auctore durius aut obscurius posita emendare volebat.

Ad supplendam hanc partem pauca afferri posse planum est: Addemus tamen aliqua. Ad rationem quam *Brodericus* affert, cur hostilia tormenta minus damni intulerint, *Jov. de Vit. Imperat. Turc.* hanc addit: *Creditum*, inquit, est, id

consulto fuisse factum, propterea quod Christiani fuerint ii, quorum opera in ea re Turca usus est. quod tangit etiam noster. *Vapovius in fragm.* magnificentius de Hungaris quam *Brodericus. Ungari primis*, inquit, *Turcorum agminibus superatis, ad Solymani Imperatoris stationem & Janiceros, pedites pervenerunt; hic quoque ingens caedes edita, ubi in Solymani conspectu res ageretur. Cadebant utrinque plurimi, tanta Solymani Imperatoris rerum suarum desperatione, ut equum pernitate insignem, fugam quam pugna aptiorem sibi dari poposcerit, & quod in desperato praelio fieri consuevit, bombardas in Ungaros & suos Turcos, qua parte confertissimi certabant, exonerari fecit &c. Dubravius in alteram partem liberalis est Stylo. l. 33. cum de explosis Turcorum tormentis dixisset, subjicit: plures (Hungari) caeco fumi beneficio usi, ante hostem visum, pedibus fugacissimis, qui lingua tamen paulo ante pugnacissimi videri volebant, fugam arripuerunt, &c. Brodericus noster utrinque medium observat. Nam neque fugam intempestivam in dextro cornu locatorum, neque fortitudinem reliquorum ante ipsa tormenta pugnantium*

tium dissimulat. quæ ipsa quin in Hungarorum potestatem devenirent, parum abfuisse, alii prædicant. Regem limo stagnantis aquæ involutum periisse, constans omnium vox est; (præter *Cameraarium*, qui, ut maxima perfidiæ suspicione alias onerat Hungaros, ita hic dubitare videtur, quando *in illo*, inquit, *non magno quidem neque celebri amne periisse nobilissimum regem, illius verbis, qui unus comitatus eum esset, creditum.*) alii tamen alias circumstantias circumponunt summæ rei. Et sunt qui addunt: *Zetriczium*, cujus indicio corpus postea repertum fuerunt, extracto post multum laborem regi galeam quidem etiam dempsisse, illum vero eodem momento expirasse. *Vapov. in fragm.* *Trepkæ* Polono hanc gloriam vindicat; quod, dum regem cum equo colloquentem & armis gravem juvare contendit, & ipse limo haustus perierit. De quo *Trepka* memorabile utique est, quod habet *Boregius in hist. Bohem.* in rege Ludovico sub finem. Cæterum uti ego regem ita periisse, non video, cur dubitem, cum & ibidem plures alii eodem modo vitam finie-

finierint; ita quicquid circumstantiarum additur, suspectum mihi esse non diffiteor.

Prælium consecuta.

IN iis quæ istam cladem consecuta sunt, non multum ab auctore recedunt aliorum narrationes; nisi quod *Cuspinianus* acerbè in Hussarones oratione sua invehatur, quem noster hoc etiam loco, non quidem nominatum refutat. Tota vero hujus loci observatio pertinet ad ea, quæ vel ipsam statim victoriam Solymani secuta sunt, vel ex hoc fonte longius derivata. Ad priora, ut *nostrum* aliqua parte suppleamus, pertinet quod tum *Dubravius* habet, *fin. l. 33.* tum *Jovius* aliquot locis, aliique: Solymanum non tantum in ipso conflictu *diligenter injunxisse, ut incolumis caperetur Ludovicus, quod dignum vita & regno existimaret;* sed etiam victoria jam potitum pronuntiasse, cum evasisse eum existimaret, *se hostem regem, tot cognationibus clarum, in gratiam Sigismundi patruï, si reperiretur, Pannonia regem repositurum: modo Othomannici*
impe-

imperii decus, & suæ liberalitatis beneficium certo tributo, & id quidem exiguo, grate atq; fideliter agnosceret; neq; se ea de causa ut ei adimeret regnum, sed ut acceptas ab Hungaris contumelias ultore gladio vindicaret, in Pannoniam venisse. Similia deinde viduæ reginæ Polonium nunciari jussit. In quibus agnoscas licet characterem ejus supra notatum. Quomodo procerum ad se allatis capitibus illuserit, arrogantiamque & avaritiam eorum detestatus sit, *Jovius idem hist. l. 28.* pluribus exponit. In qua re dolor Broderico nostro formulam rei notandæ non usquequaque convenientem expressit: quando Solymanum Hungarorum *sanguinem Diis suis libasse* scribit. cum Turci nihil æque, ac Deorum multitudinem detestentur. *Cuspinianus* vero ridiculus est, qui ad circumlatum hasta Thomorii caput, *Silii Italici* versus, de ostentato Hasdrubalis capite applicat, quorum initium:

*Tum Nero procer a sublimia cuspide portans
Ora ducis casti: Cannas pensavimus, inquit.
Budam inde urbem exercitus Solymani
ingressus, injussu, ut fertur, ejus diripuit*
&

& incendio absumpsit. ipse arcem conser-
vavit. Sed illa præcipue quæstio hujus
loci est: quare Solymanus post tantam
victoriam, nihil nisi populatus provin-
cias, Buda quoque sine præsidio relicta
reversus sit? Ipse quidem eam allegaret,
quam supra adventus sui, causam: quod
non nisi ulcisci voluerit contumelias si-
bi illatas. *Jovius & Dubravius: quod cum
exercitu in regno hybernare ausus non sit.
Vapovius: metum etiam à Polonis, Ger-
manis & Boëmis, addit. Quas gentes ma-
gnos in Turcos comparasse exercitus, fama
sparsa erat. Sed verissima omnium Bro-
derici ratio videtur, quem explicat hac
parte Caspinianus in oratione cit. addita alia
festinationis causa: causatus, inquit, va-
letudinem (sed revera, ut occurreret Sophi,
Adrianopolim ferro flammisq; evasanti, ut
ex exploratore, qui Viennæ captus fuerat, di-
dici) pontem trajecit &c. Rumor inde spar-
sus, Turcum mortem oppetiisse: qui ad ejus
usq; locum tenentem dimanavit, qui sese creat
Cæsarem. Sunt ex nostris qui hunc ejus
discessum & in Persas conversum bellum,
consiliis Ibraimi Bassæ tribuant, qui haud
dubie Christianis favebat: unde occasio
nata*

nata Italo in fabula de amoribus ejus,
non natales ipsi tantum inter Christia-
nos illustres, sed religionem etiam apud
Turcas conservatam affingendi. Cæte-
rum ejus characterem habes apud *Jovium
in Vit. Imper. Turc.* In Turcorum tamen
annalibus nulla vel Persici belli, vel inte-
stinorum motuum circa hæc tempora
mentio; nam quæ de monacho, in Ana-
tolia seditionis auctore habet *Leuncl. hist.
Musulm.* post redditum quieti Solyma-
num accidisse scribit. quanquam valde
sit vero simile, illos à Broderico motus
hic intelligi. Majori vero clade Hunga-
riam afflixit, quæ ex ista Ludoviciana or-
tum duxit, de regno inter Ferdinandum
Austriacum & Johannem Scepusientem,
disceptatio. Quanquam enim pactis in-
ter Maximilianum Cæsarem & Uladis-
laum atque Ludovicum reges cautum
erat: ut si hos absque liberis decedere
contingeret, Hungari Maximilianum
aut aliquem è filiis aut nepotibus ipsius
regem acceptarent; (cujus fœderis ta-
bulæ extant in *Sambuci appendice ad Bon-
fnium*) qua ratione Ferdinandus sibi re-
gnum vendicabat: tamen Hungarorum
ma-

magna pars deinde in Johannem studiis inclinavit. Et memorabile est *Tuberonis* iudicium *fin. l. 4.* ubi illam succedendi conditionem, pro non adjecta habitam ab Hungaris scribit; & addit: *propterea, quod iusjurandum pactioq;* (jurejurando pactioque) *presentis Senatus Hungarici, insequentium quoq;* *optimatum fidem in creando rege, ut pleriq;* *Hungarorum parum recte, ut arbitror, censent, haud licet obstringere.* Johannes ergo rex coronatus, postea à Ferdinando pulsus, cum ad Turcorum opes confugisset, Hungaria novis bellis & calamitatibus involuta est, quas nec jam post tot Augustissimi Leopoldi victorias, penitus concoxit. Sed jam neque de istorum tumultuum historia, neque de partium iure agendi locus aut fas est. Qui optimatum cladi superstitum, quas partes secuti sint, ostendit auctor *de Turcarum artibus & armis, quibus Transsylvaniam & Hungariam subegere.*

APPEN-

APPENDIX.

I.

De causa rei male gestæ.

UNde hæc Hungariæ & Ludovico imprimis clades derivata, ex tractatis huc usque non difficulter jam evoluitur. Neque jam cum illis contendemus, qui etiam diem proelii in partem culpæ vocant. ita *Dubrav. l. 33. f.* qui tamen falsum tempus supponit, aliquos *diem divi Ruffi, pugna Regum Boëmiae tristi omine infamem, necis Ludovici reum citasse,* scribit. *Vapor. fragm.* pugnatum, ait, d. Aug. 29. *qua die arx Nanderalbensis ante quinquennium est intercepta, ut hic dies Ludovico regi & Ungaris non immerito fatalis fuisse videatur.* Sed ab illis remota culpa, in quos cum injuria memoriæ ipsorum inique confertur, veræ hujus rei causæ non tam ostendendæ erunt, quam repetendæ breviter. Et Ludovicum quidem supra satis, opinor, absolvimus. qui certe & ante conflictum hunc & in ipsa pugna nul-

I 2

lum

lum prudentis & intrepidi regis officium prætermisit; & superasset, si sua sibi voluntate rem gerere licuisset. verissime certe de eo pronunciavit *Dubravius l.c.* *In rege nihil erat, quod eum de militia accusasses, qui per ætatem nullis consiliis bellicis interfuerat, nullaq; adhuc arma, nisi ludicra tractaverat, ut veris præluderet: ad qua si vel tum vocatus fuisset, illa serio contra hostes sumere non detrectasset.* Unde miror ausum esse *Petrum Angelium Bargaum*, tam indignis modis lacerare famam incluti regis, epigrammate, quod subjectum est vitæ *Ludovici* apud *Jovium Elog. l. 5.* quodque huc adscribere pudet.

De Thomorio autem res æque jam expedita est. Quicquid enim ab aliis objicitur, aut falsum est, cujus generis plura supra vidimus; aut certe ipsi accusando non sufficit. Nam si dicas: non satis cautum, sed præferocem fuisse in urgenda pugna. militum hoc omnium crimen fuit; quorum numero illum non eximimus. Prudentia autem ista ducis virtus est, quem ille se præstare posse, semper negavit. coactus vero supra captum agere non potuit. Nam sive ad

eam

eam virorum fortium inopiam regnum Hungariæ pervenerat, ut cucullatum fraterculum potentissimo Turcorum Imperatori opponere cogerentur, (Vapov. fr.) deploranda potius Ungariæ infelicitas. sive in contumeliam *Johannis* adscitus *Thomorius*; detestanda est insania hominum, se, regem & patriam pestilenti æmulatione perdentium. Et de ipso quidem *Johanne Zapolio* res obscurior est. Magnis ille hinc inde suspicionibus hujus cladis auctoribus innectitur, aut præficiuntur. Et ipse *Brodericus* non dissimulat; cum consilium de invadendo à tergo per *Johannem Turco*, suspectum habitum dicit. timebatur enim, vel saltem adversarii *Johannis* timere regem volebant, ne ille se *Turcis* tributarium pro regio titulo offerret, junctisq; copiis *Ludovicum* exeret regno. Sed ut dicam quod res est; nemo mihi illam *Johannis* perfidiam huc usque persuasit. Si enim suspicionibus credendum, quis innocens erit? Quod deinde post cladem acceptam, *non obscure regis morte, suoq; commodo letatus* dicitur à *Jovio*, tam nihil huc pertinet, quam quod *Ferdinandus* ipse etiam non adeo

I 3

hac

hac clade contristatus est, ut regnare noluerit. Sed quicquid sit, hoc certum est: moram Johannis & absentiam, sive illa ipsius, sive inimicorum Johannem criminantium, regemque ad proelium impellentium culpæ, sive denique mandatorum regionum mutationi tribuenda est, magnum ad hanc cladem momentum attulisse. Cæteræ causæ jam supra quoque sparsæ, & remotiores quidem sunt: Ipsa nationis Hungaricæ ferocia & reipublicæ adstrictius gubernatæ ratio, exempla in hac ipsa narratione se produnt. Inde auctoritatis regiæ ex eadem ratione, tum ob Uladislai socordiam, Ludovici ætatem, contemptus. Neglecta his ipsis ex causis disciplina militaris. Procerum æmulationes & luxus partim, partim avaritia. Ubi non possum omittere, quod *Jovius l. 28.* habet: Solymantum, capite Ladislai Salcani Archiepiscopi Strigonienensis ostento, *vehementer eum detestatum fuisse, objecto fædæ avaritiæ probro, quod is regem suum in tanta urgentis belli difficultate aurum mutuo deposcentem, quum multa pondera in ejus thesauris laterent, adjuvare recusasset.* Sed præ-

præcipue tum rem Ungaricam perdidit arrogancia, temeritas & in propriis viribus fiducia, qua secum regem & regnum non expectatis auxiliis in exitium traxere. Dirigente tamen hæc omnia divina manu; quæ Hungaros tum quidem punitos, cæterum Austriacam domum rebus Hungariæ admotam voluit. Cui tota hæc res acta est: cujusque armis victricibus nunc iisdem fere in campis nuper Turcis repensus est tot millium sanguis. Cujus felices catastrophes contemplatione hanc opellam claudemus.

II.

*Parallelismus cum prælio
nupero.*

SI quis itaque vel paulo altius rem respiciat, videbit, ex eadem causarum serie, quarum tunc diversa facies Ludovico funesta fuit, Leopoldo Cæsari victoriam derivatam. Turca violatis induciis in Cæsarem injurius. Quieta jam Europa. Nulla publica inter se Christianorum arma. Pontifex Romanus liberalissime bello sumptus suppeditat. Ludovicus

invidus Gallorum Rex, longe majori quam Franciscus animo, nihil movet. Hispania Cæsaris rationibus innexa pecuniis juvat. Veneti, Polonique cum Imperatore foedere juncti. Germania, quæ jam Hungariam non ut alienam respicit, totis viribus ei vindicandæ incumbit. Accedunt nuper Moscovitæ, magnum nomen. Ipse Cæsar veneratione & amore inter suos magnus. Exercitus vincere assuetus. Duces rei militaris peritissimi, & quorum nomen horrescant Turcæ. Redacta maxima parte in potestatem Hungaria. Fusæ magnis cladibus Turcarum copiæ. Hæc auspiciatoria præludia victoriæ nuper ex Turcis iisdem fere in locis, eodem mense Augusto (quem tamen Turcis alias faustum arbitrantur) reportatæ. Sed & hic divinæ providentiæ ductus primas sibi partes vendicat. Ut in illa Ludoviciana clade nihil valentibus consiliis salutaribus, rapi omnes in exitium quasi fato aliquo videbantur: ita hic nihil minus quam pugnam cogitantibus, & de receptu sollicitis Christianis, Deus ex ruentibus in perniciem Turcis optimam victoriam in manus tradidit.

didit. Nec quæ consecuta sunt non merentur cum illis Ludovicianis comparari. Late circumlato terrore, nobilissima oppida in victoris potestatem concesserunt. Turcarum Sultanus non proelio quidem occubuit, sed dejectus throno, longe turpiori ratione aut vivit, aut perit. Ducum præcipui qui nostrorum arma evaserant, suorum furore mactati. Nec tam firmato regno Sultanus recens fruitur, ut æmulum non habeat. Imperium totum factionibus scissum & tumultibus plenum. Idem nunc Constantinopoli aut certe Belgradi, qui tum Viennæ metus. Et potiori jure denique, jam Leopoldus Cæsar illa Neronis Consulibus verba apud *Silium Italicum* usurpare potest:

Cannas pensavimus.



CONSERVATION

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through from the reverse side of the page.

CONSERVATION

